INCREDIBILIVM

LIBER PRIMVS.

SCRIPTVS CREATIONI

XXXVIII. PHILOS. DOCTORVM ET AA. LL. MAG.

RECTORE MAGNIFICO

CHRISTIANO DANIELE BECKIO

THEOL. ET PHIL. D. GRR. ET LATT. LITT. P. P. O. POT. REG. SAXON. A CONSIL. AVL. PRAEFECTO EQVITVM ORD. SAXON. VIRTVT. CIV. VNIVERSIT. LIPS. ET ORD. PHILOS. SENIORE. BIBLIOTH. ACAD. PRAEFECTO. ALVMNN. REGG. EPHORO. SEMIN. REG. PHILOL. DIRECTORE. COLL. MAI. PRINC. COLLEGA. SCHOL. SVRDD. ET MVTT. PRAEFECTO. SOCIETT. REG. SAXON. ANTIQVIT. PATRIAE. IABLONOV. TEVTON. NATVRAE HIST. ET OECONOM. LIPS. REG. MONAC. ALIARVMQ. EXTERARVM SODALI. ACADEMIAE IMPER. ROSS. PETROPOL. SOCIO HONOR.

PROCANCELLARIO ATQVE DECANO

GVILIELMO WACHSMVTHIO

HISTORIAE PROFESSORE PVBL. ORDINARIO. COLLEGII MAIOR. PRINC. SOCIO. ORDINIS DANEBROG. EQVITE

A

GODOFREDO HERMANNO

ELOQ. ET POET. P. P. O. EQVITE ORD. SAX. VIRT. CIV.

D. XX. FEBR. A. MDCCCXXX.

LIPSIAE

LITERIS STARITZII, TYPOGR. ACADEM.

1830

Incredibilium quae in aetate hominum accidunt nullus uberior fons est, optimi Magistri, quam cupiditatis vis tanta, ut hominem imperio in se exuat. Id me suo exemplo ostendere, quamvis invitum, tandem coegit is vir, qui quo erga me animo sit nec vobis neque aliis ignotum est, G. H. Schaeferus, quum in Plutarchi Vitarum vol. VI. p. 506. haec scripsit: *Quae de iniuriis ab Hermanno per hos duodetriginta annos mihi petulantissime illatis scripsi non male, ut credo, meriturus de iuvenibus, quos nisi monitor surgat gravis et severus isque grandis natu, tale exemplum facile agat transversos, adeo moverunt bilem hominis ira debacchantis, ut eius in me virus evomeret praef. ad Aristophan. Nub. p. XVII. ubi recensum eorum, quae Fr. A. Wolfio illiusque sequaci Reisigio communia fuisse opinatur, his verbis finivit:* „— quin, ut nihil deesset, eadem etiam post obitum sors (*Wolfio et Reisigio*), quando quos vivos aggredi celeris vindictae metu non est ausus, eorum in manes fortis exstitit G. H. Schaeferus, immemor monentis, vir ζηταρετησιάδης, vel maledicentissimi poetae,

οὐ γὰρ ἐσθλά, κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσιν.

Sed Schaeferi odiis, donec eorum qui nobiscum vixerunt quisquam superstes erit, non deerunt iusti iudices. Qui post vivent, provisum est, ut quae sunt caussae tantae invidiae, non quae praetexuntur, eas penitus sint atque ordine cogituri. Neque enim irati sumus irato, aut laedere volumus laedendi nullas et ne indignissimas quidem artes adspernantem, sed ignoscimus potius et quantum fieri poterit excusabimus infelicem errorem mentis, quo vir, nisi impotens animi esset, optimus amicos pro hostibus

habens, nec quae facta pro quibus factis reddat videns, ipse sibi famaeque suae factus est hostis.“ *Attente haec ubi legerint qui multo me usu norunt, dicant satisne ad vivum ab hoc artifice expressa sit imago Schaeferi: ceteri, si quorum referat me nosse, illis auscultent. De iis qui post vivent, alios terreat incorruptum neque ullis fraudibus expugnabile iudicium posteritatis, me non terret. Reiskii manes, quibus Halensis iste homo illuserat, ego ultus sum: meos erunt qui a contumeliis vecordium calumniatorum tutentur.*

Haec scribere Schaeferum potuisse quum alii multi mirabuntur, tum ego miratus sum maxime, qui huic viro et quo tempore amicus esse videbatur et postquam inimicissimum esse cognoveram, quacunque in re possem non modo rogatus, sed etiam ultro ea dederim amicitiae documenta, tantoque studio pro eo laboraverim, ut ipse et ante hos tredecim annos (et tamen a duodetriginta me iniuriosum esse ait) amplexans, exosculans, summumque amicum suum vocans gratias mihi non sine lacrimis ageret, et duobus fere abhinc annis, quum eum nihil succensens domi suae convenissem periculi cuiusdam avertendi caussa, factoque cognovisset, quod non putaverat, non destitisse me ei bene velle, familiaribus quibusdam suis se non amplius adversus me scripturum esse affirmaret. Quo confessus est iniustitiam, qua et fuisset usque ad eum diem reprehendendo, et futurus esset non reprehendendo posthac: nam neque, si non mererer, stringere in me tela sua debebat, quia odisset; neque, si mererer, non stringere, quia bene ei vellem. Dixi iis, qui illud mihi narrabant, non cessaturum maledicere: non posse enim. Et profecto factus est etiam acerbior. Olim enim eorum quae a me scripta erant alia non improbabat, alia probabat, alia etiam laudabat: in iis vero, quae scripsit ad Demosthenem, probat nihil, reprehendit omnia, tribuit quae non potest reprehendere sibi vel aliis, vituperat universam rationem studiorum, monet iuvenes litteris operam dantes ne audiant me, cuius in ludo nihil nisi vana, inepta, prava discantur; quodque omnium maxime mirum est, his rebus se boni viri officio fungi putat. Mea quidem sententia rectius et saltem honestius fecisset, si perrexisset lectiones Academicas habere, litterasque et huma-

nitatem docens hunc ludum meum condita melioris exempli schola obscurasset atque oblivione obduxisset, quum praesertim etiam doctrinam metricam, ut fertur, hydram istam Lernaeam, quae ab Herculibus et Heracliscis occisa nondum periit, decreverit exstinguere. Sed non satis: agressus est etiam animum, obtrectatorem me calumniatoremque vocans, denique nihil non mali exprobrans.

Petulans, proterve iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo et modestia sum, sine bono iure atque honore,
Incredibilis, imposque animi, inamabilis, illepidus vivo,
Malevolente ingenio natus.

Sed etiamsi et haec et quae reliqua de se ille Plauti Mnesilochus praedicat, in me expetere crederet, tamen consultius erat, opinor, aliquid saltem mihi et veri et boni relinquere, ne se ipse iudicii haud sane incorrupti suspectum redderet. Nam nimis profecto incredibile omnibus videri oportet, quemquam hominem totum ex perversitate et malitia esse compositum. Et quomodo de me id credent illi quos abstrahere a me adnititur auditores mei, quorum nullus umquam me in scholis, quod solet malevolis opportunissimum ἀκονιτὶ vincendi theatrum esse, quidquam in eum vel acerbe vel inique vel irreverenter dicentem audivit? Etenim ego ad ista quid facerem? Quod feci: nihil. Nam defenderemne vel dicta vel facta mea? At sic existimo: veri si quid dixerim, (puto autem tantum saltem dixisse, quantum ab ipso adoptatum video) id non minus mansurum, quam periturum, si quid ipse non veri dixerit; animo autem quam quis vel bono vel magno sit, penes alios decere iudicium esse, quia suum animum laudanti non plus fidei est quam virgini iactanti virginitatem suam. An vero quod de industria me vituperari viderem, quodque conviciis et in scriptis et in familiaribus colloquiis peti, par pari referrem? Absit, ut reprehensionem refutari vicissim reprehendendo credam; proscindique conviciis non honestius ducam quam contra ingerere. An forte ulciscendi causa, ut quidam solent, amicos, discipulos meos, eosve qui ipsi laesi essent instigarem, ut ad persequendum perdendumque convolarent virum mihi infestum? At nec vindictae cupidus sum, neque pro me alios telis adversarii

exponere volo, neque omnino propter unius viri iniustam iram conflari bellum Troianum operae pretium aestimo. An vero, quoniam hoc quoque quidam faciunt, contumeliose dictis opponerem quae alii in laudem meam dixissent, quoque magis laudassent, tanto eos mihi potentiores deos tutelares fore existimarem? At nec laudis tam avidus, quam illi, neque vituperationis tam metuens sum, qui sciam quam facili opera utrumvis pariatur, nec tamen videam utrovis ullum hominem vel meliorem quam est vel deteriorem factum, multoque optabilius esse intelligam contumelias quam laudem non meruisse. Reliquum erat, ut in ius vocarem. At et inhumanum ducebam, facere ut poenam lueret, cui ipse, quod animi non compos esset, ignoscerem; nec periclitari videbatur existimatio mea, praesertim ab eo, qui eam capulo feriret, sua manu aciem prehendens gladii. Quid enim, si quis ex utriusque nostrum scriptis eo, quo deinceps ordine edita sunt, illa omnia colligeret atque componeret, in quibus alter alterius mentionem vel nominatim vel, ut ille plerumque, suppresso nomine fecimus? Numquamne cogitavit Schaeferus, quid et aequales nunc dicant, et olim dicturi sint posteri, quorum incorruptum iudicium sibi non metuendum putat, si his tam claris, tam non dubiis vocibus utrumque nostrum de se ipsum, quo animo quibusque moribus sit testantes videant? Ad haec, quae in conspectu sunt hominum litteratorum, accedunt illa, quae domi fiunt. Scit ipse quo studio fuerit, quum Reisigii irritabile cor Oedipo Coloneo a me edito interitum spirabat, de qua re alibi lepida narrabuntur. Non infitiatur, nec potest infitiari, se in sermonibus cum iis, qui eum visum veniunt, vehementissime et contumeliosissime de me conqueri et quid patraturus sit minitari. Ego quidem, qui iniuriam ab eo sibi factam ulturi erant, oravi ne id facerent, asseveravique, si sciret quam iniustus esset, ipsum magis quam illos doliturum: pariterque defendi eum atque excusavi apud illos, qui non pauci fuere, quos indignatos eius maledicentia videbam, dixique aegrotare eodem morbo, quo laboraverit I. H. Vossius, vir voluntate iustus, factis saepe iniustus. Neque enim mirum esse, virum multas fortunae iniquitates expertum, consciumque sibi magnae multoque labore partae doctrinae, eamque a quibusdam non tanti, quanti aequum sit, fieri, atque adeo alios,

quos se multo inferiores esse iudicet, praeferri sibi credentem, paullatim, praesertim si se a consuetudine hominum segreget, adeo suspicacem fieri, ut nihil non in pessimam partem accipiat, quaeque ipse animo exacerbato sibi finxerit pro veris habens, omnia sibi atra cernere videatur. Haec quidem quum feci, non puto me ei iniurias intulisse.

Succensuit mihi primum, ut quidem ait et usque repetit, novissime in Plutarchi Vol. V. p. 90. atque adeo in Indice v. κἄν, propter unum verbum, sine malo animo positum in praefatione ad librum Vigerii, de qua culpa exposui in dissertatione quam scripsi de transpositione verborum. Inde alias atque alias invenire sibi visus est caussas, quibus odium semel animo conceptum aleret. Cuius odii vim omnem impetusque quantumvis indecoros, quamdiu ipse solus petebar, tacens aequo animo sustinui: ubi autem propter me etiam discipulos meos et vehentissime et iniustissime est adortus, postquam ipse ei dixi id me non esse passurum, bis terve de illa iniquitate conquestus sum; postremumque, quum etiam mortuo insultasset, id feci illis quae supra allata sunt verbis in praefatione Nubium. Ea ego non ira debacchans, ut ipsi visum est, scripsi, sed tam considerate et cogitate, quam decebat qui nullum verbum ponere constituissem, quod non aliquando ostensurus essem dictum esse verissime. Dolebam potius, quod eum virum, quem veri rectique observantissimum esse credidissem, eo usque cupiditati suae indulgere animadverterem, ut nihil earum rerum ipse ab se arceret, quarum si in aliis vel aliquid deprehenderet, exagitaturus esset acerbissime. Sed illa opinabar satis mature cognosci, si utroque nostrum mortuo cognoscerentur. Nunc vero, quoniam ipse urget, non veritus ea dicere, quae in civitate bene ordinata nec dici, nisi demonstrata, nec dicta ferri fas est, iam eum publice rogatum volo, ut, quae sint illae quas sibi a me illatas esse ait iniuriae, palam ostendat, quo et mihi et aliis, quid sibi istis criminationibus velit, innotescat, claraque in luce videamus, quod corpus quasque figuras habeant spectra illa, quorum in tam longo tempore quasi per nebulam nihil quidquam nisi obscuras quasdam atque incertas umbras conspeximus. Oro autem etiam atque etiam, ut posita aliquantisper ira missisque que-

rimoniis, calumniis, opprobriis, contumeliis, conviciis, ex quibus nihil nisi quo ipse sit animo, non ego quid deliquerim elucescere potest, tandem aliquando, si se virum bonum haberi vult, facta, eaque vera, non sua in mente nata, commonstret, caveatque ne facinora afferat talia, quale illud est, quod in indice Plutarchi v. κἂν enucleavit, cogitetque, risuros esse (risu autem ecquid inoptabilius gravem se et severum monitorem surgere professo?) qui videant, quia ego aliquando scripserim *qua quidem de re non praeripiam quae Erfurdtius meus admonebit*, (ea res autem constructio est particulae trium litterarum κἂν) propterea ipsum vicesimo anno post ad Plutarchum vol. V. p. 241. in haec verba erumpere: *V. mea in Append. ad Bastii Epistol. Critic. p. 26. s. et in Epimetro II. ad Aristophan. Plut. p. XXXVIII. s. Ad quae carpenda cum plures olim certatim convolassent iussi a magistro, ne quid ego privi propriique docuisse viderer, postmodo non sine risu magistrum intellexi, aut securum aut oblitum istius alumnorum mihi insultantium certationis, illi meae disputationi tantum habuisse honoris, ut eius auctoritate uteretur in Vigerianis p. 822. falso dicens recentissimos quos debebat dicere scriptores citerioris Graecitatis. Nisi forte Plutarchus aequalesque adeoque vetustiores in recentissimis numerandi sunt.* Ac vereor ne magis etiam rideant, si inspexerint libros in indice Plutarchi citatos, viderintque quae sit illa insultantium certatio: cuius me quidem recte oblitum dicit, quippe tam pusillae, ut oblivisci facilius quam meminisse potuerim. Tales igitur argumentationes velim ut sua ipsius caussa non minus devitet, quam commemorationes eorum, quae numquam facta sunt, ipse autem, quia odio flagrans fieri potuisse cogitabat, credidit facta esse. Cuius generis nunc quidem duo mirabilia exempla promam.

In Apparatus ad Demosthenem vol. I. p. 264. de Reisigio sic scripsit: *Ipse Kusterus, qui mihi aliisque immerentibus satis* νεανικῶς *insultavit ad Xenoph. Oecon. p. 45. nunc, opinor, non diffitebitur, cum illa scriberem, ratione me et consilio usum esse. Viro doctissimo, quem insecutis temporibus existimationis meae studiosissimum expertus sum,* νεανίευμα *illud hoc lubentius condono, quo certius scio, tela in me coniecta non*

ipsum procudisse. Scilicet me procudisse innuit. Omitto nunc quidem, quae multa dicenda habeo de his, quae vel laudat in Reisigio vel condonat: illud unum monstrabo, unde tam certo sciat, quod se scire dicit. Quamquam, etiam si tacerem, nemo id credet eorum, qui Reisigium cognitum habuerunt. Non enim ille sibi a quoquam passus esset tela procudi, quibus fabricandis ipse ita sufficeret, ut aliunde acceptis uti turpe sibi duxisset. Sed unde scit illud Schaeferus? Nempe ipse invenit. Nam res ita se habuit. Reisigius, qui tum in Vniversitate nostra litterarum studiosus erat, cum commilitone quodam suo, nunc clarissimo viro, quod pecunia indigerent, librum aliquem edere constituit. Convenere de Xenophontis Oeconomico, partitique inter se sunt operam. Iuvenilis lascivia, ab insolentiore genere scribendi commendationem libro accessuram rata, suasit et laudare quosdam effuse, et vehementer alios vituperare. Itaque me illi, magistrum suum, praeconiis extollere, tanto acrius carpere alios. Absoluto opere praefationem scripsit Reisigius, sumpto nomine Guilelmi Kusteri, in qua se olim militem fuisse scripsit, illum autem amicum suum (tanta fuit petulantia) in servum suum convertit. Librum, simulatque in lucem prodierat, usurpavit Bornemannus, nunc scholae Afranae professor, qui iam tum in Xenophonte, de quo postea praeclare meritus est, operam posuisset suam. Is me quum forte visum venisset, mira narrabat de Oeconomico, quem miles quidam una cum servo suo edidisset. Quaerenti mihi, quae esset militis istius vel doctrina vel indoles, hominem esse respondit non indoctum neque expertem ingenii, sed admodum ferocem. Ego commotus tanto miraculo, eo ipso die e bibliopolio, praeteriens forte, petii librum. Perlectis aliquot paginis agnovi Reisigium. Is quum forte paucis diebus post ad me venisset, quae tandem te, inquam, intemperiae agitarunt, ut Xenophontis Oeconomicum cum istiusmodi adnotationibus ederes? Haesit confusus, statimque confessus est. Ibi ego eum graviter propter illam et in laudando et in vituperando immodestiam et temeritatem admonui, tantoque impletus est metu, maxime quod in Beckium intemperanter invectus esset, ut se Gottingam conferre consultius duceret. Sed Beckius, ut erat aequum, risit feroculos impetus

adolescentis: Schaeferus, sauciari se non dedignatus, aequum iudicavit, certo scire, a me procusa esse tela, quae me inscio et facta et, et in ipsum coniecta sunt; ubi autem facta coniectaque comperi, severam fabro suo a me castigationem peperere.

Alterum ficti criminis exemplum magis accommodatam vitis vestris, optimi Magistri, dicendi materiam praebebit, quia aliquid saltem habet, quod homines litterati non sine ullo ad studia sua fructu legant. In adnotationibus ad Plutarchum vol. V. p. 205. haec scripsit: *Meletemata illa tenent quae pervellem aut omissa aut aliter scripta. Interim profuerunt haud paucis tironum: ut scripsisse me non poeniteat. Sed hunc quoque libellum et olim, cum primum prodiisset in lucem (Thierschium testor bene gnarum illius tempestatis), et nuper adroserunt dentes maligni obtrectatorum.* Non fecit bene, quod Thierschium est testatus. Nam neque hic vir, qui ei responsor in publica defensione Meletematum erat, falsum testabitur, (animo enim esse liberrimo, neque aut metu aut gratia capi, quis nescit?) neque alius auditorum ullus, qui magno numero circumsteterunt: in quibus fuit vir eximiam postea claritatem adeptus, quem miratum scio, qui ista scribere potuerit Schaeferus: sed nominare nolo, ne, illaesus adhuc, poenas det. Narrabo rem, sicut acta est. Obsequutus erat Schaeferus meis aliorumque adhortationibus, ut se abiecto, quae typothetae peccassent corrigendi tristi negotio ad docendas in Vniversitate nostra antiquas litteras conferret, paraturusque sibi id ius erat Meletematis ad disputandum publice propositis. Me ille, amicus eo tempore, rogaverat, ut contradictoris partes susciperem. Libenter promisi, rogavique, quoniam sciebam et magnum librum et plenissimum scriptorum citationibus scribi, ut singula folia, simulatque prelum reliquissent, mitteret, quo mihi ne tempus ad inspiciendos scriptores illos deficeret. Vbi me invitatum venit instante solemnitate, exemplumque integrum libri obtulit, quaesivit haberemne de quo aliquamdiu colloqueremur: nam paucorum se verborum esse, et, si se errasse intelligeret, sine tergiversatione concessurum: non putare autem multa me invenisse de quibus dissentirem. Respondi, adnotasse me locos quadraginta et tres. Satis vero, inquit. Eorum loco-

rum, quum ad disputationem ventum est, aliquos viginti commemoravi: concessitque de omnibus, vera me dicere. Attigissem etiam reliquos, nisi assedisset Tittmannus, vir S. R. collega meus, amicusque utriusque nostrum, quem si diutius a colloquendo arcere voluissem, inverecundus in ipsum, immodestus in Schaeferum, iniquus in auditores fuissem. Disputaveramus autem ita et ego et Schaeferus et socius eius Thierschius, ut par est inter amicos, eosque non alia quam veri inveniendi cupiditate ductos. Testem huius rei ipsum habeo Schaeferum. Nam peracta solemnitate eum diem totum usque ad vesperam apud eum suaviter transegi: quod quis credat factum esse, si aliquid inter nos simultatis intercessisset? Nam neque ille dissimulare potuisset aegritudinem, neque ego tam fuissem impudens, ut, quem laesissem, laesumve se putare vidissem, ei praesentia mea molestiam crearem. Non ergo in modo, opinor, quo disputatum est, erat quo arrosisse Meletemata viderer. Qua ergo in alia re? Non certe in eo, quod officio functus sum contradicentis: nam id rogatus feci, atque adeo, si detrectassem, iure vel inofficiosus vel inimicus essem visus. An vero, quod non, ut nonnulli solent, ludicra et quae ipse inania putarem attuli? At indignum utroque nostrum erat, si cum docto claroque viro sic agerem, ut cum adolescente, cuius quis vult ingenium captiosis interrogationibus speciosisve syllogismis explorare. Relinquitur nihil, nisi ut res ipsae, quae a me sunt in medium allatae, eum offenderint. Et, nisi fallor, ita est: tempestas illa, quam dicit, aliquanto post ipsius in pectore orta est, quum dolere coepit, quod non potuisset non concedere vera esse quae dixissem. Nam quibus iniuria contradicas reprehendasve, facile obliviscuntur; irascuntur graviter, si iure. Accidit opportuno casu, ut ex illo exemplo Meletematum, quod in disputationem attuleram, reposito in scriniis, quoniam alio cui Dionysii liber adiunctus est utor, non exciderent schedulae, in quibus breviter ea adnotaveram, de quibus dicerem illo die. Ita factum est, ut nunc quoque afferre, quae tum partim dixi partim dicere volui, possim. Sed quum dimidiam fere partem eorum, quae consignaveram, tum protulerim, de quibusdam, non de omnibus nunc commemini venerintne in disceptationem an non. Quocirca

nunc omnia enumerare volo, ut, qui haec legant, ipsi iudicare possint, num in rebus, quas vel attulerim vel voluerim afferre, quidquam sit, quo arrosisse Meletemata videar, nisi si arrodere est dicere quibus in rebus dissentias, et quidem rogatus atque ad id ipsum invitatus.

Diviseram omnem disputationem in tria capita, alia contendens non recte, alia non accurate, alia praeter necessitatem dicta vel correcta esse. Sed quoniam non omnium est mentio facta, nec singula quae ex quoque genere attulerim memini, nunc omnia promiscue, paginarum ordinem sequens, exponam. In quibus quo leviora sunt multa, eo minorem ego quidem criminandi materiam fuisse crediderim.

I. P. 1. Initium feci defendenda scriptura Ἁλικαρνασσὸς et similium, quam antiquiorem altera putarem, afferens ea, quae memoravit Erfurdtius in minore ed. Sophoclis ad Antigonae v. 1130.

II. P. 2. Dionysius in principio Artis rhetoricae sic scribit: *πανήγυρις εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν εἰς ἀνάπαυλαν τῶν περὶ τὸν βίον μειζόνων παραδεδομένη, ὥς που ὁ Πλάτων φησίν.* Vbi quum Schaeferus corruptum *μειζόνων* suspicatus esset mutandum esse in *μελεδώνων*, rectissime Sylburgium iudicasse existimabam, qui ipsius Platonis verbum *πόνων* reponi voluisset, videbaturque mihi illud *μειζ* ex perperam lecta praecedentis verbi *βίον* scriptura esse ortum.

III. P. 3. In his verbis Dionysii p. 226, 7. *ἀνδρὶ δὴ περὶ λόγους ἐσπουδακότι καὶ σύμπαντα τὸν ἑαυτοῦ βίον ἀνατεθεικότι τούτοις πρέποι ἂν οἶμαι τοῖς τοιούτοις λόγοις κοσμεῖν τὴν πανήγυριν, τέχνῃ μετιόντι τὸν λόγον, ὡς μὴ κατὰ τοὺς πολλοὺς εἴη αὐτῷ γινόμενος*, afferens ex codice *γενόμενος*, „*perparum*,“ inquit, „*interest*.“ Mihi praestare codicis scriptura videbatur, quia, nisi *εἴη γενόμενος* scripsisset Dionysius, scripturus fuisset *γένηται*. Hodie si mihi sententia de hoc loco dicenda esset, tum illud argumentum impugnarem, quo *δὴ* defensum est, quae particula hic non potest ferri, tum *λόγοις*, quod post *τοῖς τοιούτοις* legitur, ut ineptum, manifestoque ex interpretis adnotatione natum, tolli debere contenderem.

IV. P. 11. Luciani verba sunt in Charidemo c. 25. *ἀλλὰ τί ταῦτα λέγω, ὧν τὸ κάλλος τέλος ἐστίν; ὧν γὰρ εἰς χρείαν ἥκομεν ἀναγκαίως, οὐκ ἐλλείπομεν οὐδὲν σπουδῆς εἰς ὅσον ἔξεστι κάλλιστα κατασκευάζειν. τῷ τε γὰρ Μενέλεῳ οὐ τοσοῦτον ἐμέλησε τῆς χρείας τῶν οἴκων, ἢ ὅσον τοὺς εἰςερχομένους ἐκπλήττειν.* In his Schaeferus deleto *ἢ* scribi iubet *ὅσον τοῦ τοὺς εἰςερχομένους ἐκπλήττειν.* Nimirum ea tantum verba quae de Menelao sunt consideraverat, quae quis neget sic ut corrigit apte enunciatam sententiam praebere? Verum si praecedentia quoque respiciantur, (ideo ea apposui) aliquid inconcinnitatis apparet. Nam si ea, quae ad usum necessaria sunt, ut pulcra sint curamus, manet usui suum ius, ut necessario. Ex quo consequitur, etiam qui unice gaudeat splendida domo, non dicendum esse usum non tanti quanti splendorem, sed non pluris facere. Haec igitur inconcinnitas, si corrigenda essent verba, saltem quomodo interpretando removeri posset, videtur ostendendum fuisse.

V. P. 12. ima: „*Sic infra p. 254. v. 4. καὶ abundat ante παρὰ σεαυτῷ: p. 235. v. 4. ante πατήρ: p. 240. v. 13. ante ὑπὸ θεῶν.*“ At nihil usquam abundare, iure, ut arbitror, contendi. Nam aut potestatem aliquam habet vox, aut non habet. Si habet, non abundat: si non habet, vox est quae non est vox. P. 254. sic scribit Dionysius: *ἀλλ᾽ οὖν ἔστω σοι ὥςπερ τι δῶρον παρ᾽ ἐμοῦ εἰς συντέλειάν τε καὶ κόσμον τῶν γάμων, τὸ μηδὲ τῶν περὶ τούτων εἰωθότων λέγεσθαι μηδ᾽ αὐτῶν ἀπείρως ἔχειν, εἴτ᾽ οὖν αὐτὸς καὶ παρὰ σεαυτῷ φυλάττειν βούλοιο, εἴτε καὶ ἑτέρῳ τινὶ τοῦτον οἷον ἔρανόν τινα εἰς χάριν συνειςφέρειν.* Ipse servat, qui non servandum dat aliis; apud se servat, qui servat intra domus suae parietes: quae quum sint duo et diversa, abest copula, ubi coniuncta cogitantur; adiicitur, ubi discreta. Non ergo abundat. P. 235. haec leguntur in loco vitioso, cuius ultima sic videntur scripta fuisse: *καὶ ὅτι εὑρόντες καὶ δείξαντες τοὺς γάμους τοῖς ἀνθρώποις, Ζεύς τε καὶ Ἥρα, πρῶτοι ζευγνύντες τε καὶ συνδυάζοντες· οὕτω τοι ὃ μὲν καὶ πατὴρ καλεῖται πάντων, ἣ δὲ ζυγία.* Patet comparationem in his esse. Atqui comparationis est, quale alterum sit, tale dici etiam alterum esse. Quare in comparando frequens est usus illius voculae. Hic quidem quemadmodum coniugii repertores

fuerint illi dii, ita etiam congrua ei rei nomina dicuntur habere. P. 240. de laudatione connubio se consociantium scriptum est: *καὶ εἰ μὲν ἐκ τῆς αὐτῆς πατρίδος, ὅτι ἐκ πολλοῦ προσφκειωμένοι ὑπὸ τοῦ τόπου· εἰ δ᾽ ἐκ διαφόρων, ὅτι καὶ ὑπὸ θεῶν συνήχθησαν εἰς τὴν κοινωνίαν.* Ne hic quidem abundat *καί*, etsi omitti potuit: nam omisso, connubium soli tribuitur voluntati deorum; addito, non casu, sed ab ipsis adeo diis consociati dicuntur.

VI. P. 13. Dionysius p. 233, 11. *μὴ γὰρ δὴ ταῖς ψυχαῖς τε καὶ διαθέσεσι καὶ ἐννοίαις ταῖς ἐπ᾽ αὐταῖς χωρισθείημέν ποτε.* „*Proxime sequentia, ἐννοίαις ταῖς ἐπ᾽ αὐταῖς, velim mihi aliquis explicet. Quod cum iure desperes fieri posse, coniectandi venia data est. Sume, ταῖς natum esse ex literis praegressis ιαις, neque improbabis, opinor, si quis pro ἐπ᾽ αὐταῖς legat ἐναντίαις.*“ Dissentiebam de emendatione horum verborum, quae neque corrupta neque obscura sunt. Nam qui locis dissociantur, dissociari quum animis et studiis possunt, tum si alter de alterius animo atque propensione in se dubitare incipit.

VII. P. 14. „P. 259. *ὄνομα γε μὴν ἀμφοῖν ἓν καὶ τὸ αὐτὸ, ἐπιτάφιος οὕτως ὀνομαζόμενος. ubi ante ἐπιτάφιος, opinor, ὁ excidit.*“ Et paullo post: „*P. 247. s. legitur ἐπιθαλάμιος οὕτως ἐπιγεγραμμέναις ταῖς ᾠδαῖς. Cod. noster ἐπιγραφόμενος. Scribendum igitur ὁ ἐπιθαλάμιος οὕτως ἐπιγραφόμενος ταῖς ᾠδαῖς.*“ Dionysii haec verba sunt: *ἦν μὲν οὖν καὶ παρὰ Σαπφοῖ τῆς ἰδέας ταύτης παραδείγματα, ἐπιθαλάμιος οὕτως ἐπιγεγραμμέναις ταῖς ᾠδαῖς.* Mirabar, adiici articulos, qui si legerentur in libris, delendi essent, quia prorsus legibus linguae repugnant.

VIII. P. 8. „*Pro γε τὸ ἀνθρώπειον* suspicor *legendum γένος τὸ ἀνθρώπειον.*“ Adnotatum reperio in schedis meis, aut *τὸ ἀνθρώπινον γένος*, aut *τὸ γένος τὸ ἀνθρώπινον* scribendum videri. Eo ipse in societatem erroris veni. Nam Dionysius p. 236, 7. postquam comparavit connubium hominum cum vaga Venere brutorum animalium, dixitque vitae ex eo cultum atque humanitatem esse exortum, sic pergit: *καὶ ὅτι θνητὸν ὄν γε τὸ ἀνθρώπειον ἐκ τῆς μίξεως καὶ κοινωνίας τοῦ γάμου ἀθάνατον γέγονεν ἐκ τῆς διαδοχῆς τῶν ἐπιγινομένων, ὥσπερ φῶς ἀναπτόμενον καὶ διαμένον καὶ τοῖς ἐπιγινομένοις τῇ γεννήσει τοῦ ἀνθρώπου καὶ μήποτε ἀποσβεν-*

νύμενον. Qui si *γένος* scripsisset, dupliciter absurda diceret. Nam etiam bestiarum genus per corporum commixtionem in omnia secula propagatur: quae autem porro addita sunt, apertum est non de genere, sed de humanitate praedicari, quae tamquam lumen inexstinctum postgenitis tradatur. Hoc enim homines a bestiis differunt, quod humanitas non vita cuiusque circumscripta est cum eaque interit, sed transit ad posteros acceptaque ab illis alitur atque augescit. Ex quo patet delendum potius illud *γε*, quam in *γένος* mutandum esse.

IX. Dionysius p. 237, 11. *καὶ πρὸς λύπας τε καὶ δυςχερῆ τὰ ἐν τῷ βίῳ γάμος χρησιμώτατος.* P. 20. „*τὰ δ. V. Melius abest articulus.*" Ego necessarium esse existimabam, quia non infinite aliqua incommoda significarentur: itaque vel addendum codicis auctoritate esse, vel, si prior ille articulus, qui ad *λύπας* appositus est, etiam ad *δυςχερῆ* referretur, non recte dici melius abesse articulum.

X. P. 23. „*Post ἀνανεάζεσθαι αὐτὸν Sylburgius ποιεῖ desiderat: nec valde repugnem, si quis hoc verbum excidisse contendat. Leniorem tamen, opinor, admoveris medicinam pro αὐτὸν scribens αἴτιον.*" Dionysii verba sunt p. 238. s. *εἶτα διατυπωτέον λόγῳ οἷον προαναφωνοῦντα ὁποῖος ἂν ὁ βίος ὁ μετὰ τῶν παίδων γένοιτο, ὅτι τερπνότατος χορὸς παίδων, εἰ γένοιτο, ὁρῶντι, καὶ ὅτι τρόπον τινὰ ἐξ ἀρχῆς ἀνανεάζεσθαι αὐτὸν καὶ ἀνηβάσκειν σὺν τοῖς αὐτοῦ παισίν.* Opponebam, neque supervacaneum esse *αὐτόν*, neque verba correctionis indigere, quia *ὅτι* in oratione obliqua recte cum infinitivo consociaretur.

XI. P. 23. „*Sophocles Trachin. v. 1235. sq.*

ἥ μοι μητρὶ μὲν θανεῖν μόνη
μεταίτιος, σοί τ' αὖθις, ὡς ἔχεις, ἔχειν.

ubi, ni fallor, scribendum: σοὶ δ' αὖθις. Vulgatum enim si cum Hoogeveeno Doctr. Part. Gr. T. 1. p. 654. defendas loco Euripideo Orest. v. 1317. (1310 ed. Pors.) scito a Porsono δ' pro τ' ob μὲν praecedens scriptum esse." Puto me miratum esse, quod Porsoni de uno loco sententiam aliquid valere vellet adversus id, quod millenis posset exemplis confirmari. Apud

Sophoclem quidem eo minus opus esse δὲ scribi, quod huius voculae potestas quodammodo in adiecto αὖθις inesset.

XII. P. 24. „ὅταν μὴ ἄψυχον καὶ ταύτην ὁρᾷ. *V. Meliore ordine verborum.*“ Dionysius p. 239, 8. εἰ δ' εἰκόνα τις ὁρῶν ἑαυτοῦ ἄψυχον ἥδεται, ὅταν καὶ μὴ ἄψυχον ταύτην ὁρᾷ, ἀλλὰ καὶ ἔμψυχον, μηδὲ μίαν, ἀλλὰ πολλάς, ἂν οὕτω τύχῃ, πόσῳ μᾶλλον ἥδεσθαι δεῖ; Quem meliorem diceret ordinem verborum, nihilo contendebam meliorem, ac potius deteriorem esse. Nam in vulgato inutile esse καί, quia nihil aliud significaret quam quod mox iteratur his verbis, ἀλλὰ καὶ ἔμψυχον; ante ταύτην autem collocatum etiam falsum, quia nihil esset quod opponeretur. Itaque corruptam esse iudicabam orationem eo, quod librarius omissum καὶ ante prius ἄψυχον novo errore ante alterum inseruisset. Sic enim scripsisse Dionysium: εἰ δ' εἰκόνα τις ὁρῶν ἑαυτοῦ καὶ ἄψυχον ἥδεται, ὅταν μὴ ἄψυχον ταύτην ὁρᾷ, ἀλλὰ καὶ ἔμψυχον.

XIII. P. 25. „καὶ. *Omisit V. Melius abest.*“ Prorsus hoc sine idonea causa dictum esse, verba Dionysii docent p. 240, 3. ποτὲ μὲν οὖν ἐν ἀρχῇ χρηστέον τῷ τύπῳ τούτῳ, ποτὲ δὲ καὶ ἐπὶ τέλει. Nam etiam personas coniugum laudandas dicit, addens, si sint illustres, in principio orationis; sin minus nobiles, in fine. Atqui plures nobilium, quam ignobilium laudationes scribi credibile est.

XIV. P. 31. deos τοὺς κρείσσονας appellari solitos docens, „*plene*,“ inquit, „*Aeschylus Prom. v. 910.* κρείσσονες θεοί.“ Falsum hoc esse monebam: nam et quae hoc dicunt, deas esse, Oceani filias, et fugere se illas dicere non deorum, sed maiorum quam ipsae sint deorum connubium.

XV. P. 43. „*Idem Oed. Col. v. 360.* μὴ οὐχὶ δεῖμ' ἐμοὶ φέρουσά τι. *Vertit Brunckius*: vereor ne mihi pavorem nunties aliquem; *subaudiens* ᾖς *vel* ἥκῃς. *Male me hoc loco habet* μὴ οὐχὶ *vertendum illud post verba metuendi* ne non, ut, *suspicorque corrigendum esse:* μὴ σὺ δεῖμ' ἐμοὶ φέρουσά τι.“ Versus hi sunt:

ἥκεις γὰρ οὐ κενή γε, τοῦτ' ἐγὼ σαφῶς
ἔξοιδα, μὴ οὐχὶ δεῖμ' ἐμοὶ φέρουσά τι.

Non fuisse, quod eum male haberet, quia *μὴ οὐχὶ* significaret *nisi*, ut ipse p. 108. docuisset, monebam.

XVI. P. 45. „*προγόνων ἐνδόξων. V. Probe, si interpungas: ποίων τινῶν προγόνων, ἐνδόξων καὶ πατέρων.*" Dionysius p. 245, 5. *ποίας τινὸς οἰκίας, ὅτι οὐ φαύλης, ὅτι οὐκ ἀδόξου, γένους ἐνδόξου, ποίων τινῶν προγόνων καὶ πατέρων.* Fatebar me non intelligere quid *καὶ* sibi vellet in his, *ἐνδόξων καὶ πατέρων*, dicebamque verba manifesto corrupta sic esse emendanda: *ποίας τινὸς οἰκίας; ὅτι οὐ φαύλης, ὅτι οὐκ ἀδόξου γένους. ποίων τινῶν προγόνων; ἐνδόξων πατέρων:* vel *ποίων τινῶν προγόνων καὶ πατέρων; ἐνδόξων.*

XVII. P. 50. afferens Iliad. II. 123.

εἴπερ γάρ κ' ἐθέλοιμεν Ἀχαιοί τε Τρῶές τε
ὅρκια πιστὰ ταμόντες, ἀριθμηθήμεναι ἄμφω,
Τρῶας μὲν λέξασθαι, ἐφέστιοι ὅσσοι ἔασιν,
ἡμεῖς δ' ἐς δεκάδας διακοσμηθεῖμεν Ἀχαιοί,
Τρώων δ' ἄνδρα ἕκαστον ἑλοίμεθα οἰνοχοεύειν·
πολλαί κεν δεκάδες δευοίατο οἰνοχόοιο·

„*Heynio,*" inquit, „*videbatur quaeri posse, sitne potius ἐθέλωμεν legendum: mihi non item. Subiunctivo nullus hic locus.*" Mirabar negari rem minime dubiam, neque adeo ignotam, afferens Iliad. I. 580.

εἴπερ γάρ κ' ἐθέλῃσιν Ὀλύμπιος ἀστεροπητὴς
ἐξ ἑδέων στυφελίξαι·

ubi nisi reticeretur apodosis, optativum esset habitura. Et Iliad. XVII, 38.

ἦ κέ σφιν δειλοῖσι γόου κατάπαυμα γενοίμην,
εἴ κεν ἐγὼ κεφαλήν τε τεὴν καὶ τεύχε' ἐνείκας
Πάνθῳ ἐν χείρεσσι βάλω καὶ Φροντίδι δίῃ.

Addebam non praetereundum fuisse Odyss. II. 246. quod eo loco Porsonus codicis Harleiani scripturam pro vestigio optativi accepisset.

XVIII. P. 55. Bionis versus, V. 5. seqq. posuit:

εἰ μὲν γὰρ βιότω διπλόον χρόνον ἄμμιν ἔδωκεν
ἢ Κρονίδας, ἢ Μοῖρα πολύτροπος, ὥστ' ἀνύεσθαι
τὸν μὲν ἐν εὐφροσύνᾳ καὶ χάρματι, τὸν δ' ἐνὶ μόχθῳ,
ἦν τάχα μοχθήσαντί ποθ' ὕστερον ἐσθλὰ δέχεσθαι.

„Sic enim," inquit, *„locus videtur scribendus."* In libris est τὸν μὲν ἐς εὐφροσύναν καὶ χάρματα. Ipsis Bionis verbis in ultimo versu inseruit parenthesin: „(*f.* μεθύστερον)" Neutra mutatione opus esse in promptu est: prior etiam elegantiam tollit variatae orationis. Nam suavior est oratio, rotundiorque etiam numerus, si ἐς εὐφροσύναν καὶ χάρματα cum ἔδωκεν construuntur.

XIX. P. 66. quod dicit, repetitum illud p. 92. ἄρα potestate syllogistica in principio orationis poni, afferens Aristoph. Pac. 855. id repugnare usui bonorum scriptorum, apud Aristophanem autem interpunctione ex cod. Rav. mutata removendum esse, et tum monebam, et postea ostendi ad Sophocl. Antig. 628.

XX. P. 67. *„Xenophon Anab. V. 4, 25.* καὶ ἄλλα δόρατα ἔχοντες παχέα κ. τ. λ. *Scribendum, ni fallor:* καὶ ἄλλοι δ. ε. π. *Distinguenda enim* δόρατα *a* παλτοῖς *s.* ἀκοντίοις." Xenophon sic: ἐνταῦθα δὴ οἱ πολέμιοι ὁμοῦ δὴ πάντες γενόμενοι ἐμάχοντο καὶ ἐξηκόντιζον τοῖς παλτοῖς, καὶ ἄλλα δόρατα ἔχοντες παχέα, μακρά, ὅσα ἀνὴρ ἂν φέροι μόλις, τούτοις ἐπειρῶντο ἀμύνεσθαι ἐκ χειρός. Nihil mutandum contendi: nam etiam in librorum scriptura δόρατα a παλτοῖς distingui: quod ipsum confessurum esse, qui non nesciret, nomen illud ἄλλος pervagatissimo usu diversa, quae aliqua ex parte ad unum genus referri possent, discernere.

XXI. P. 67. *„Demosthenica c. Aristocr. p. 621, 8. sq. ed. Reisk. Dionysius Halic. de Compos. Verb. p. 194. sic habet:* περὶ τούτου τοίνυν ἐστί μοι ἅπασα σπουδή. *Quid illud* τοίνυν? *Orator videtur scripsisse:* περὶ τούτου ἐστί μοι ἅπασα ἡ σπουδή." Repetiit hanc coniecturam in editione libri illius, cui Meletemata adiunxit, p. 380. Oportebat vero non fidere vulgatae scripturae, sed conferre Aldinam, in qua non τοίνυν, sed νῦν est. Sed constat, eum et illo in libro edendo, et saepissime in iis quae emendandi caussa affert, antiquos libros inspicere dedignatum esse.

XXII. P. 68. *„Tale porro Euripidis* δυςθνήσκειν, *ab ipso Scaligero pro barbaro habitum, de quo iudicium Porsoni cupidissime exspecto."* Quidquid de eo sentiret Porsonus, non videbatur mihi movenda esse vox munita obsequio eius qui Rhesum scripsit.

XXIII. P. 73. „*Xenophon in Oecon. V. 4. videtur scripsisse: καὶ γὰρ ἐν τῷ χώρῳ ὡς ἐν τῷ ἄστει, ἀεὶ κ. τ. λ.*" Agricolas adsuefieri primo mane surgere docens Xenophon haec addit: *καὶ γὰρ ἐν τῷ χώρῳ καὶ ἐν τῷ ἄστει ἀεὶ ἐν ὥρᾳ αἱ ἐπικαιριώταται πράξεις εἰσίν.* Apertum est, corrigendi nullam caussam esse: nam duo illa *καὶ* ad se invicem referuntur: sin tamen, usus requireret, quod Schneidero in mentem venit, *ὥςπερ καὶ ἐν τῷ ἄστει.* Praeterea cum Xenophontis libris etiam Stobaeus consentit.

XXIV. P. 74. in Sophocleae Tyrus fragmento apud Aelian. H. A. XI. 18. ubi de equa est,

σπασθεῖσα δ᾽ ἐν λειμῶνι ποταμίων ποτῶν,

si quis sibi largiatur, primam litteram natam esse ex ultima vocis praegressae, (ea vox est *ὕπο*) ei se facile persuasurum dicit ut ϹΠΑϹΘΕΙϹΑ mutetur in ΠΛΑΘΕΙϹΑ. Eam recte quidem longe mitiorem medicinam quam Brunckii, *κίρσασα* scribentis, vocat: sed mihi tamen medicina etiam illo *πλαθεῖσα* mitior, simulque rei accommodatior placebat, *σπάσουσα.*

XXV. P. 80. „*Euripidis loco Hec. v. 927. ed. Musgr.*

ἐπιδέμνιος ὡς πέσοιμ᾽ ἐς εὐνάν,

varie tentato a Criticis, ab Hermanno parum probabiliter explicato (perdurum est enim, ni meus me sensus fallit, in tantulo commatio ἐπιδέμνιος proprie, εὐνάν, tam affinem illi vocem, figurate dici) huic, inquam, loco facillime succurras, si, commate ante ὡς posito, ἐπιδέμνιος iungas eum superioribus." Et paullo post: „*Sed ut aliis placeat illa interpunctio, mihi fateor perplacere egregiam coniecturam Anonymi, receptam illam nuper ab Euripidis sospitatore in editione Cantabrigiensi, ἐπιδέμνιον. Εὐνὴ ἐπιδέμνιος dictum perdocte planeque Ὁμηρικῶς. Vid. Odyss. VII. 336. seqq. XXIII. 179. sq.*" Monebam, meam mentem non recte acceptam esse. Sic enim ad Hecubae v. 907. scripseram: *Censor Britannus ἐπιδέμνιον legendum suspicatur. Quod miror, quum ipse, allato Herc. fur. v. 1050. observet, εὐνὰν propemodum idem esse quod ὕπνον. Adde Aesch. Agam. v. 27.* Ibi est *εὐνῆς ἐπαντείλασαν.* Porro interpunctionem illam, *λεύσσουσ᾽ ἀτέρμονας εἰς αὐγὰς ἐπιδέμνιος, ὡς πέσοιμ᾽ ἐς εὐνάν,* vix habere, quo se commendet. Ex Homeri

locis nihil aliud disci, quam stragula iniecta esse cubilibus. Porsonus quam recepisset coniecturam, quaesitam esse multoque minus elegantem quam quae in libris est, pleonasmi genus continens usitatissimum tragicis, cuius aliquot exempla commemorabam. Nec profecto illud ἐπιδέμνιον aliis placuisse video: quin Matthiae acute ostendit, quod Ὁμηρικῶς dixisse visus sit Euripides, et Homero et rei naturae repugnare. Vulgatam aptissimo exemplo nuper defendit Bernhardy in Syntaxi p. 428. quod est in Bacchis: ὑψόθεν χαμαιπετὴς πίπτει πρὸς οὖδας.

XXVI. P. 85. „*Obiter moneo, vulgarem illam optativi formam reddendam videri Sophoclis Antig. v. 414 ubi legam:*

εἴ τις τοῦδ᾽ ἀφειδήσαι πόνου.

Brunckius recte vertit: si quis huic labori minus esset adtentus." Quid ad defendendum quod libri habent ἀφειδήσοι attulerim, ex iis cognosci potest, quae ad illum Sophoclis versum in editione mea adnotavi. Atque ipse Schaeferus illuc in sua rediit.

XXVII. In eadem adnotatione: „*Eandem medicinam admoverim Sophocleo fragmento Phaedr. VIII. scribendo:* ᾧ γε Ζεὺς ἐφορμήσαι κακά. *Neque enim abhorrent ab usu huius formae scriptores Attici.*" Versus illi apud Stobaeum CVIII. 53. sic scripti leguntur:

αἴσχη μὲν, ὦ γυναῖκες, οὐδ᾽ ἂν εἷς φύγοι
βροτῶν πόθ᾽, ᾧ καὶ Ζεὺς ἐφορμήσοι κακά.
νόσους δ᾽ ἀνάγκη τὰς θεηλάτους φέρειν.

In quibus quum non possit dubitari quin respiciatur turpis amor, in quem inciderit Phaedra, iure statuendum est coniunctivo potius utendum fuisse. Malum autem versus fulcrum καὶ credere suadet, Sophoclem scripsisse, οἷσι Ζεὺς ἐφορμήσῃ κακά.

XXVIII. P. 87. Disputat de ἢν cum optativo, quum alios scriptores, tum Antistii epigramma, in quo est ἢν δὲ παρεκβαίης, tum Maximi duo exempla et unum Hippocratis afferens. De Antistio monebam, vehementer dubitari posse an is potius ἢν δὲ παρεκβήῃς scripsisset. De altero Maximi loco Schaeferus sic: „*Idem v. 346. iunctis optativo et coniunctivo:* ἢν — πέλῃ — ἢ — ἐντύνειεν." Hunc locum dicebam si accuratius inspexisset, non allaturum fuisse. Corruptum esse, scribique debere hoc modo:

ἢν δὲ Νεμειήταο πέλῃ κατὰ ἄστρα λέοντος,
εἰ μὲν ἐπὶ πρώτῃ ἠοῖ δρόμον ἐντύνειεν,
λήσεται, οὐδέ μιν αὖτις ἐφέστιον οἷο ἄνακτος
ἀθρήσεις θεράποντα φυγόπτολιν· εἰ δέ κ' ἐν ἠοῖ
δευτατίῃ αἴροιτο φυγήν, οὐ πάντα τελέσσει
δρησμοσύνης.

Et εἰ quidem postea cognovi a Spitznero quoque restitutum esse, a quo qui accepit Gerhardius, non tamen omnia persanavit. Mox pergit Schaeferus: „*Praevideo fore qui talia citerioris Graecitatis propria dicant: sed hi sciant, etiam in vetustissimis scriptoribus exempla huius constructionis mihi occurrisse. Hippocrates, ut hoc utar, Sect. I. p. 9, 18. ed. Francofort. 1595. ἤν τις ἐπιχειροίη λέγειν.*“ Leguntur haec verba non longe a principio libri de veteri medicina, vol. I. p. 23. ed. Lips. Non usurum fuisse hoc exemplo dicebam, si inspecta Mackii editione ex codd. enotatam vidisset veram scripturam ἐπιχειρέῃ.

XXIX. P. 90. In Lithicis Orpheo tributis legebatur olim v. 299.

αἶψα γὰρ ἡρώων σφιν ἐπέρχεται εἶδος ἀγαυόν,
οἵτε θεοῦ μέγα δῶρον ἐπισταμένως φορέουσι.

De his versibus sic scripsit: „*Hermannus nuper edidit:*

οἵ κε θεοῦ μέγα δῶρον ἐπισταμένως φορέωσιν.

Sed neque οἵτε, *neque* οἵ κε *patitur a sede nominis, ad quod refertur, sive expressi illius, seu ut hic,* ἐλλείποντος, *tam longa intercapedine dirimi: quod minus etiam licet, si praecedunt pronomina, qualia hic* αὐτῶν, σφὶν, *ad idem nomen referenda. Id Gesnerus videtur sensisse,* οἵτε *vertens* et hi. *Scribendum lenissima mutatione:*

εἴ γε θεοῦ μέγα δῶρον ἐπισταμένως φορέουσι.

Saepius confusa εἰ *et* οἱ.“ Haec mihi ex omni parte a vero abhorrere videbantur. Nam *οἵτε* et *οἵ κε* quam longe a sede nominis sui vel pronominis removeantur, nusquam non potest ex totius orationis compositione pendere. Et hic quidem *οἵτε*, quia per significationem suam non potest ad *σφίν*, sed debet ad *ἡρώων* referri, a me correctum esse in adnotatione ad istum versum dixeram: *οἵ κε* autem per sententiae rationem necessario ad *σφίν* pertinere,

nec quidquam obscuritatis in ea constructione esse, non putabam demonstratione indigere. Quin eo minus in illa constructione aut falsi quidquam aut obscuri esse, quod abesse σφὶν illud salva sententia posset; additum esse enim ea figura, qua Homerus dixisset οἵ μιν ἄδην ἐλόωσιν Ἕκτορα Πριαμίδην. Quod autem ipse suaderet, εἴ γε, non modo a sermone epico alienum esse iudicabam, sed hic ne propter sententiam quidem ferri posse, quia tempus indicari, non simplex significari conditio deberet. Quod si conditionali particula uti voluisset scriptor, dicturum necessario fuisse ἢν φορέωσιν.

XXX. P. 92. „*Erfurdtius*“, inquit, „*mihi significavit, ad eandem normam Antig. in. scribendum esse* ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς κ. τ. λ. *ceterum hanc verborum structuram miram sibi accidere Hermannoque videri duabus ex constructionibus conflatam esse. De lectione in Sophocleis assentior: de structurae insolentia ac* καινοπρεπείᾳ, *non item.* Οἶσθ' ὅτι *in Antigona non puto aliud esse quam notissimam illam creberrimoque usu tritam formulam, quam Graeci reliquae orationi* παρενθέτως *interserunt, iunctam hic cum particula* ἆρα.“ Si verba illa pro παρενθέτως positis acciperentur, reliqua debere sola per se intelligi posse dicebam: atqui non posse. Sic enim Sophocles:

ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν
ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;

XXXI. P. 94. in adnotatione: „*E contrario* δ' *natum, opinor, ex littera* ν *in Aeschyli Pers. v. 191. ed. Brunck. qui locus, ut primaria Atossae notio, nunc ob comitem paullum latitans, magis exsistat, sic scribendus videtur:*

χ' ἣ μὲν τῇδ' ἐπυργοῦτο στολῇ,
ἐν ἡνίαισιν εἶχεν εὔαρκτον στόμα·
ἡ δ' ἐσφάδαζε.“

Exile hoc esse dicebam et ut quod maxime a simplici gravitate Aeschyli abhorrere, quem certissimum esset scripsisse ut in libris eius legitur:

χἠ μὲν τῇδ' ἐπυργοῦτο στολῇ,
ἐν ἡνίαισι δ' εἶχεν εὔαρκτον στόμα·
ἡ δ' ἐσφάδαζε.

Argumentum autem, quo hanc scripturam labefactare voluisset, contrariam vim habere. Notionem enim illam, quam in animo haberet Atossa, obsequii Persarum, multo magis exsistere atque extolli, si mulier illa gaudere imposito iugo, et, quod eo gauderet, libenter parere frenis diceretur, quam si, perversa ratiocinatione, ubi quid ambae sub iugum missae fecerint dicendum erat, sumpto iam eo quod demonstrandum esset, illa, quae gavisa esset iugo, paruisse frenis narraretur.

XXXII. P. 97. „41) *Malim aut*, αἴσχιστος ὅστις *aut*, *αἴσχιστον εἴ τις.*" Pertinet hoc ad Euripidis verba in Iph. Taur. 699. allata p. 32.

τὰ τῶν φίλων
αἴσχιστον ὅστις καταβαλὼν εἰς συμφορὰς
αὐτὸς σέσωσται.

Quid verbis opus est, ut cur supervacaneas iudicaverim illas coniecturas intelligatur?

XXXIII. P. 98. „*Cognato vitiò laborat Paulus Silentiarius III. καί τις ὑποτλαίη; Corrigendum, (nam Pauwii hic quoque αἰάζοντος commentum nemini, opinor, probabitur) scribendum igitur: τίς κεν ὑποτλαίη;*" Existimabam ego quidem non esse soloecismum in codicis scriptura: nam omnino de soloecismis qui hac pagina tractantur, aliter sentio: putabamque, si esset hic soloecismus, facilius eum expelli posse, si scriberetur *ὥς τίς ὑποτλήῃ*; quod genus emendandi commendatum est p. 73. Scilicet displicuit criticis in Pauli epigrammate *καί*, neque immerito: sed non viderunt lenissimà ac pene nulla correctione pronomen encliticum esse restituendum. Epigramma hoc est:

μαλθακὰ μὲν Σαπφοῦς τὰ φιλήματα, μαλθακὰ γυίων
πλέγματα χιονέων, μαλθακὰ πάντα μέλη·
ψυχὴ δ' ἐξ ἀδάμαντος ἀπειθέος· ἄχρι γὰρ οἴων
ἐστὶν ἔρως στομάτων, τἆλλα δὲ παρθενίης;
καί τις ὑποτλαίη; τάχα τις, τάχα τοῦτο ταλάσσας
δίψαν Ταντελέην τλήσεται εὐμαρέως.

Et ferat hoc quisquam?

XXXIV. P. 100. „*Ceterum si quis de canone hoc syntactico forte dubitet, audiat quem hellenismi callidissimum fuisse*

nemo negare ausit, quemque Hermannus meus vellem audivisset, priusquam Adnotat. ad Viger. p. 724. Brunckium seu potius Dawesium, τὸν ταῦτα καὶ τοιαῦτα ἄριστα κανονίσαντα, *animosior quam felicior* ἀνταγωνιστὴς *adoriretur, audiat igitur ipsum deum Delphicum. Oraculum Myscello et Archiae de tripode datum, quod servavit Scholiastes ad Aristoph. Equit. v. 1089.*

χώρας καὶ πόλεως οἰκήτορα λαὸν ἔχοντες
ἤλθετ' ἐρησόμενοι Φοῖβον, τίνα γαῖαν ἵκησθε.
ἀλλ' ἄγε δὴ φράζεσθ' ἀγαθῶν πότερόν κεν ἕλοισθε,
πλοῦτον ἔχειν κτεάνων, ἢ τερπνοτάτην ὑγίειαν."

Non adeo me extimescere deum Delphicum dicebam, quem ipse sciret haud optimum auctorem esse, et quum alia parum docte atque eleganter, tum illud satis insolenter apud Pausaniam X. 18. edidisse:

γῆς Πέλοπος νάεται καὶ Ἀχαΐδος, ὁππότε Πυθὼ
ἤλθετε πευσόμενοι, ὥς κεν πτολίεθρον ἕλητε.

Addebamque Homeri, haud paullo potioris Apolline auctoris, exempla nonnulla, quibus adducerer ut istum canonem non recte constitutum esse crederem. Sed de hac re nunc dicere serum est, postquam et ipse Schaeferus, quae hic disputavit, ad Sophocl. Oed. Col. 1418. pro certis indubitatisque haberi noluit, et ego rationem illam uberius explanavi in iis quae de ἂν particula scripsi.

XXXV. P. 109. „*Similis soloecismus eximendus Hymno Homerico in Cererem v. 272. sq.*

ὡς ἂν ἔπειτα
εὐαγέως ἔρδοντες, ἐμὸν νόον ἱλάσκοισθε.

Corrigo ἱλάσκησθε. *Sic Homerus Il. XVI. v. 84.*

ὥς ἄν μοι τιμὴν μεγάλην καὶ κῦδος ἄρηαι.

ubi al. perperam ἄροιο." Huius quem dicit soloecismi aliquot ex Homero exempla afferebam, quorum satis est hoc unum adscribi, Od. II. 52.

οἳ πατρὸς μὲν ἐς οἶκον ἀπεῤῥίγασι νέεσθαι
Ἰκαρίου, ὥς κ' αὐτὸς ἐεδνώσαιτο θύγατρα.

Neque enim solas particulas, sed sententiam, ex qua earum constructio penderet, spectari debere arbitrabar: quod qui faceret,

intellecturum, cur in hymno recte se haberet optativus, in Iliade autem coniunctivus praestaret. Nam in hymno hoc dicitur:

ὄργια δ' αὐτὴ ἐγὼν ὑποθήσομαι, ὡς ἂν ἔπειτα
εὐαγέως ἔρδοντες ἐμὸν νόον ἱλάσκοισθε.

In Iliade autem:

πείθεο δ' ὥς τοι ἐγὼ μύθου τέλος ἐν φρεσὶ θείω,
ὡς ἄν μοι τιμὴν μεγάλην καὶ κῦδος ἄρηαι
πρὸς πάντων Δαναῶν.

XXXVI. P. 113. in adnotatione: „*Contrario modo corruptus, ni fallor, Aeschylus Prom. v. 1088. sq. ed. Brunck.*

καὶ μὴν ἔργῳ, κοὐκ ἔτι μύθῳ,
χθὼν σεσάλευται·

Malim:

καὶ μὴν ἔργον, κοὐκ ἔτι μῦθος.
χθὼν σεσάλευται.

Conf. Demosthenica p. 406. 540. ed. Reisk.“ Oratorem cum poeta, verba eius p. 406, 23. 540, 10. cum Aeschyleis negabam recte comparari; immo apud Aeschylum tantum abesse dicebam, ut caussa corrigendi ulla inveniretur, ut facta illa mutatione et simplex gravitas illius poetae periret, et asyndeton inferretur raro a tragicis atque alia lege quam quae huic loco conveniret usurpatum.

XXXVII. P. 114. „*Haec de ellipsi verbi substantivi disputatio in memoriam mihi reducit Sophocleum locum Antig. v. 321.*

οὔκουν τόδ' ἔργον εἰμὶ ποιήσας ποτέ.

Sic Brunckius ex codice E: vereor ut optime. Aldus et membr. οὔκουν τόδ' ἔργον τοῦτο ποιήσας ποτέ. *hocque ad verum, opinor, recta ducit. Legendum suspicor:*

οὔκουν ὅδ' ἔργον τοῦτο ποιήσας ποτέ.

Quod interpretantes, alii εἰμὶ, *alii* ἐγὼ *cum adscripsissent, haec in textum illata aliam alibi lectionem pepererunt: nam in T. Brunckius reperit* τοῦτο ποιήσας ἐγὼ, *qua lectione Valckenarius mire abusus est. Talis orationis structura substantivo verbo facile caret. Vid. si per Purgoldum licet, eiusdem fabulae v. 634.*“ Negabam sic loquutos esse Graecos: nam parti-

cipium illud sine articulo aut *faciendo* aut *quum faceret*, vel *quod faceret*, vel similia significare: negabam etiam comparari posse v. 634. quem ipse p. 66. sic scriberet:

ἢ σοὶ μὲν ἡμεῖς πανταχῇ δρῶντες φίλα,

quod ibi participium aperte adiectivi officio fungeretur. Sed non esse mutandam librorum scripturam, qua nihil sanius esset:

ἢ σοὶ μὲν ἡμεῖς πανταχῇ δρῶντες φίλοι.

Ipse postea in editione Sophoclis utroque loco tacens Brunckium sequi satius duxit.

XXXVII. P. 115. quum contendisset ὦ cum substantivo et adiectivo coniunctum semper proximum habere nomen gravius, dixissetque: „*Quae quum ita sint, pervelim a Porsono excitari e scriptoribus probae Graecitatis aliquot locos similes huic in Epist. Cathol. Iacobi II. 20.* ὦ ἄνθρωπε κενέ·“ in subiecta adnotatione sic scripsit: „*Id viro eximio, ut nunc ipsum video, haud difficile erit. Vide mihi ipsum Sophoclem Electr. v. 622.* ὦ θρέμμ᾽ ἀναιδές. *v. 1161.* ὦ δέμας οἰκτρόν. *Euripides Bacch. 598. ed. Brunck.* ὦ φάος μέγιστον. *Plato Phaedr. pag. 240. ed. Heind.* ὦ παῖ καλέ. *Nec dubito plura exempla, quae item postpositum habeant nomen gravius, facili opera investigari posse.*“ Mihi, si nomen gravius et priorem et posteriorem locum tenere posset, nihil interfuturum videbatur, utro modo loqui aliquis praeferret. At multum interesse: nam certa lege ὦ poni ante nomen eius, quod quis appellaret: itaque si miseros, qui pueri essent, dici ὦ οἰκτροὶ παῖδες; sin pueros, qui miseri, ὦ παῖδες οἰκτροί. Sic qui apud Platonem diceret ὦ παῖ καλέ, non admirari formam pueri, sed vocare eum, qui puer formosus haberetur. Sic Sophoclem ὦ θρέμμ᾽ ἀναιδές et ὦ δέμας οἰκτρόν, sic Iacobum ὦ ἄνθρωπε κενὲ dixisse. Id planissime perspici ex Euripidis versu, quem non afferendum fuisse ei, qui sic ut ipse de hoc genere dicendi sentiret:

ὦ φάος, μέγιστον ἡμῖν, εὐΐου βακχεύματος.

XXXIX. P. 120. in adnotatione: „*Constantissimum est discrimen, quod ne quis, Wolfiana motus interpunctione, Homericis ll. II. v. 250. sq. convelli putet, cogitet optativo veri nominis* οὐκ *addi non posse. Satis notum est,* ψευδώνυμον

cum particula ἂ saepissime sic poni, ut vicem gerat τοῦ προσ-τακτικοῦ: quo sensu ubi dicitur, οὐ recte adsciscit, mutandum illud in μὴ, si imperativum sufficias. Aristophanes Vesp. v. 725. sq.

ἦπου σοφὸς ἦν, ὅστις ἔφασκεν· Πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς,
οὐκ ἂν δικάσαις.

ad q. l. Scholiastes: Κατὰ τὸ,

Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς."

Fatebar, quod satis notum diceret, mihi ignotum esse, gratumque facturum fuisse, si id aliis exemplis quam isto Aristophanis versu probavisset, in quo οὐκ ἂν δικάσαις id quod ubique significare, *non possis iudicare*, eadem ratione qua a Quinctiliano I. 5, 50. monitum: ne *ac* non *adverbia: qui tamen pro illo*, ne feceris, non feceris, *in idem incidat vitium, quia alterum negandi est, alterum vetandi.*

XL. P. 123. Odysseae I. v. 47. afferens,

ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι,

„*Codices Vindob.*" inquit, „ῥέζει. *Aut hoc probandum, opinor, aut legendum* ῥέζῃ." Non videbatur mihi dubitandum esse de optativo, quo nihil esset verius: pendere enim ex praegresso optativo. Sed nihil attinet repeti, quae alibi de hoc genere loquendi, hodie notissimo, scripsi.

XLI. P. 126. „*Apollonidas III.*

εἰ τοιόςδε Λέων λάχεν ἀντίος Ἡρακλῆϊ,
οὐκ ἦν Ἀλκίδεω τοῦτο τὸ δωδέκατον.

Scribo:

εἰ τοιόςδε Λέων λάχεν ἀντίος Ἡρακλῆϊ,
οὔ κ' ἦν Ἀλκείδεω τοῦτο τὸ δωδέκατον."

Requirebam exempla elisi ε in οὔ κ', emendarique mirabar, quod ex ipsius sententia, quam p. 55. exposuisset, vacuum esset vitio.

XLII. P. 127. In Maximi versu 428. quum reposuisset Φαΰλλου, in adnotatione scripsit: „*Vulgo* Φαάλλου. *Etiam Rentdorfius:* Phaallus. *Hunc hominem, ater an albus sit, non novi: bene novi Phayllum, Crotoniatam celebratissimum. Vid. Epigr. adesp. CCV. ibique Iacobs. p. 411.*" Adnotave-

ram, hanc emendationem occupatam esse a P. Wesselingio Probab. p. 138.

XLIII. P. 131. „*Orpheus Argon. v. 1257. sqq. ed. Gesn.*

ἦ τάχα καὶ δύσεσθ' Ἀργὼ κατὰ βένθε' ἔμελλεν,
εἰ μὴ πρεσβίστη θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος
εὐρυβίην Πηλῆα πάλιν λελίητο ἰδέσθαι.

ἔμελλεν δύσεσθαι *i. q.* ἔδυ ἄν. *Reliqui autem, quam unice veram puto, omnium lectionem librorum, male expulsam ab Hermanno,* ἦ τάχα καί. *Significanter positum cum* ἦ, *tum magis etiam* καί. *At, inquit Hermannus, epicus sermo postulabat* καὶ τάχα. *Satis superque tuebuntur* ἦ τάχα, *ut proprium epici sermonis, hi loci.*" Et tum affert quinque exempla. Quaerebam, adeone me hospitem esse crederet in epicis Graecis, quos illud ipsum volumen Orphicorum omnes a me perlectos ostenderet, ut tritissimum illud ἦ τάχα ignoraverim. At enim me non quod inusitatas epicis putavissem, voculas illas ex Orphei versu expulisse, sed quod sic, ut ibi, non usurparentur. Nam poni eas in principio orationis, cuiusmodi et illa quae ad me refutandum attulisset exempla, et quae quis alia his addere ingenti numero posset, esse omnia. Sed memini me haec iam attigisse in iis quae scripsi de ἄν particula I. 12. in Diar. class. fasc. LXIX. p. 40.

Haec sunt illa, quae in publica super Meletematis disputatione partim protuli, partim volui proferre. Sitne in iis, quod ut inique atque adrodendi illius libri caussa dictum culpari possit, ipsi qui haec legerint aestimabunt. Ego quidem me opinor, si quid in me malevolentiae fuisset, absurdae quidem, ut in eum, quem mihi amicum esse putarem; aut si quid invidiae, quae, quamvis turpis, fortasse in homine, qualem me esse ipsi complacitum est, aliquid veniae impetraret: opinor, inquam, si quid huiusmodi in me fuisset, quam habebam disputandi materiam potius in alia capita, quae multo ad istiusmodi consilium aptiora inveniri potuisse in promptu est, quam in illa distributurum fuisse, quae nihil continerent quod non in quemvis alium librum caderet. Nam quis umquam liber scriptus est, nisi forte alicuius mathematici ex solis compositus numeris, in quo non aliquid falsum, aliquid non

accurate dictum, aliquid supervacaneum atque inutile reperiatur? Sed satis de his.

Hic est liber primus incredibilium, qui est prologus. Qui sequentur, in iis, ut in hoc, quae facta, quae non facta sunt, sic ut sunt facta vel non facta, inde a prima inter me et Schaeferum notitia enarrabo. Eorum in uno ipse me magni illius et numquam expiandi, sed tamen non poenitendi criminis reum confitebor, propter quod, ne alia memorem capitis pericula, fortuna quadam Hesiodea bis morti datus atque epigrammate sepulcrali honoratus vivo, nunc autem tertium, qui me eradicare sibi visus, permutatis personis in semet saevit, ab eo sospitor ac superstitor ipso, verumque esse quod dictitat experior, *ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται*: illud crimen dico, ex haud magnis neque aerumnabili labore partis opibus mediocri sanae mentis usu ultra seu sapere seu desipere ausum esse, quam quibusdam commodum erat. Opto ego quidem ut liceat hoc opus inchoatum relinquere: sin minus, non meis mihi ullis armis opus erit, ut vera esse, quae utinam ne essent, evincam. Quamquam praevideo, non ante his rebus finem allatum iri, quam quum, quod dudum alii omnes viderunt, etiam ille, qui primus animadvertere debebat, intellexerit, non alium hominem ullum, sed solum se ipsum, ut in praefatione illa scripsi, famae suae hostem exstitisse. Tristis hic exitus est, quaqua ad eum via perveniatur, sed, quia eodem ducunt omnes, inevitabilis.

FRIDERICVS BVELAV.

Natus sum Fribergae die VIII. Octobr. a. V. patre Carole Buelau, qui nunc a regiis consiliis rerum metallicarum est, matre e mercatorum gente inter Chemnitienses splendidissima Huebneria; quae tamen dilectissima mater iam ante hos octodecim annos morte nobis erepta me solum patri reliquit. Prima litterarum fundamenta accepi a Rochlitzero privatas Fribergae scholas tenente; tum Dittricus quidam puerili ingenio informando operam navavit quam maximam. Anno XVI. secundae classi Gymnasii adscriptus sum. Iam licet annos quindecim natum praeceptores me iudicarent maturum esse qui adirem academiam, metuit tamen patris sapientia, ne puerilis adhuc animus vitae procellis impar esset. Sic et Gymnasio pergebam interesse et lectiones privatas audire virorum illustrium, de Busse, Lampadii, Hechtii. Anno XXIII. semestri autumnali adscriptus sum civium universitatis Lipsiensis numero ab Hermanno, qui tunc fasces academiae tenebat. Iam per tres annos et dimidium iurisprudentiae et artibus politicis operam navabam. Quum vero aestate a. XXVII. examine pro candidatura die XXV. Aprilis eiusdem anni absoluto Georgiam Augustam adire vellem, retinuit me Weiskii mei amicitia. Sic per integrum annum bono otio fruens litteris operam impendere potui mihi perquam gravibus et iucundis. Per semestre aestivum a. XXVIII. habui lectiones de iure publico saxonico; in eo quod nunc currit semestri doceo ius redituum regni saxonici et antiquitates iuris germanici.

ROBERTVS SCHNEIDER.

Natus sum Schleizae a. h. s. VII, patre Ioanne Guilielmo, praediorum principis privatorum tum temporis administratore, matre Carolina Guilielmia e gente Franzia. Elementis litterarum a domesticis magistris imbutus, a. h. s. XIX initio Lyceo Schleizensi traditus sum. Sed hoc ipso anno et hac schola rursus abii et ipsa patria cessi. Quum enim Goerenzius, matris avunculus, summus rerum scholasticarum in Magno Ducatu Suerino-Magalopolitano antistes et Gymnasii quod Suerini floret Fridericiani director, me filii loco

recipere vellet et educare institueremque, Suerinum illo anno medio profectus sum. Atque nihil fortunatius cadere potuit. Nam Goerenzius eiusque coniux dilectissima mihi parentum instar erant et tot tantaque in me beneficia et conferebant et quotidie adhuc conferunt, ut qui eorum erga me sit amor quantaque merita, probe equidem sentiam, sed quibus verbis dicam, non habeam. Itaque tempus illud, per quod Suerini vivebam, et iucundissimum erat et utilissimum, quum Goerenzio nihil esset antiquius, quam ut, quantum effici posset, bene praeparatus in Academiam venirem. Reliquorum quoque praeceptorum, maxime Loeberi, Gymnasii Prorectoris, summa erga me benevolentia grato animo commemoranda est. Schola autem a. h. s. XXV relicta, Lipsiam profectus sum, qui iuri operam darem. Atque primo tempore scholis Ottonis interfui iuridicis, Hermanni, Rostii, et b. Beieri, qui pluribus de me nominibus meritus est, philologicis, Wachsmuthii, quem virum illustr. benevolentissimum semper habui, historicis, Krugii denique, Clodii, et Wendtii philosophicis. Sed magis iam antiquarum, maxime Latinarum literarum studio tenebar; et ex quo mihi licuit tempore Friedericum Adolphum Schillingium audire, pristinus ille iurisprudentiae amor ita denuo excitatus est, ut toto me huic arti animo darem. Atque ut hoc uni debeo Schillingio, ita, quae in iure Romano didici, omnia. Etenim non publica tantum eius disciplina egregia uti mihi contigit, sed se adeundi etiam et consulendi facultatem dedit et optimis consiliis studiis meis praefuit. Sed quum et haec et alia eaque maxima, quae ille in me beneficia contulit, singula hoc loco cemmemorare longum sit, unum hoc dico, Schillingii erga me meritorum memoriam nulla umquam deleri posse oblivione. Praeter hunc vero audivi Weissium, Klienium, Muellerum, Prassium, Beckium Ictos.

ERNESTVS LVDOVICVS GVILIELMVS TILLICH.

Francofurti ad Viadrum mercatore patre natus, quum ab eo rudimentis literarum imbutus essem, Gubenam, Lusatiae urbem florentissimam, me contuli, ibique in gymnasio per septem fere annos stipendia merui. Deinde quum Lipsiae et propter Virorum Celeberrimorum splendorem et propter aliarum rerum amoenitatem maxime me invitaret, hic per annos duos quum omnino literis, tum praecipue mathematicis operam navavi. Iam opportuna mihi se occasio obtulit, qua Russiam petam, ibique, quae discendo accepi, ea docendo tradam. Quam occasionem etsi alias ob causss cupide arripio, tamen non possum, quin aegre urbem hanc relinquam omnium bonarum artium sedem, quam quo magis cognovi, tanto magis adamavi. Manebit certe semper eorum, qui optime de me meruerunt, memoria; atque quamdiu manebit, tamdiu almae Lipsiae summa cum voluptate gratissimoque animo semper recordabor.

FRANCISCVS EDVARDVS SCHLEINITZ.

Natus sum a. h. s. IV., d. XXVIII. m. Octobris, in pago Zschaitz, inspectioni ecclesiasticae Wurzenensi adscripto. Patri, Ioanni Godofredo, tum ibi praeceptoris munere fungenti nati erant ante me duo filii et una filia; secuti me sunt una filia et sex filii, quorum tamen duo mature vita decesserunt. Per aliquod tempus aluit me locus natalis; sed iam anno h. s. VI. patri praeceptoris munus in pago eiusdem dioeceseos Sornzig, traditum est. Ibi parentes vere pii et probi quum puerum infirmi corporis multisque gravibus morbis conflictatum sedula cura paullatim robustiorem reddidissent, pater etiam animo filii excolendo pro viribus dedit operam, in qua institutione eum lubentissime adiuvit verbi divini minister, Theophilus Lenke, vir et probitate et eruditione valde insignis. A quo per aliquod tempus Graecae ac Latinae linguae elementis imbutus, anno h. s. XVII. in alumnorum scholae, quae Dresdae est ad aedem Crucis, numerum Senatus Amplissimi benignitate receptus sum. Ibi ordinis quarti civibus adscriptus, primum Philippi Wagneri scholis usus sum, viri tanta integritate et eruditione, ut non solum discipulorum, sed omnium, quibus innotuerat, animos sibi conciliaret. Quamvis enim saepissime valetudinis prosperitate careret, et gravissimis corporis doloribus opprimeretur, tamen cum summa religione muneri satisfacere studuit, ita ut haud raro magnum vitae periculum sibi contraheret. Non minor caeterorum erat magistrorum assiduitas. Florere coepit tum temporis schola Cruciana rectore Groebelio, qui summa virium intentione eius salutem ita curabat, ut hodie vix ulli patriae scholae queat posthaberi. In quo negotio eum concordibus studiis adiuverunt quum omnes reliqui scholae praeceptores, tum Seltenreichius, V. S. R. supremi Senatus Ecclesiastici Consiliarius, quem schola illa ut patrem veneratur. Eius scholae disciplina per septem fere annos gavisus, in album Academiae Lipsiensis ab Haasio, V. Exp. sum relatus. Hic, cum pater, cui novem liberorum cura esset, me et fratrem meum, iurium disciplinae in eadem academia operam navantem, nullo modo adiuvare posset, omnibus fere destitutus subsidiis, praetereaque per quinque hebdomades morbo gravissimo affectus, saepius adeo rebus ad vitam necessariis carebam. Sed impetrato ab Regis Potentissimi munificentia stipendio quumque post contigisset, ut artis musicae institutione aliquid mihi possem comparare emolumenti, liberato a maximis sollicitudinibus animo scholis interfui Krugii, Beckii, Tzschirneri, Tittmanni aliorumque splendidissimorum virorum. Studiis theologicis absolutis et examine theologico feliciter peracto in Candidatos relatus, praeceptoris munus in schola civica Lipsiensi suscepi, quo summa cum voluptate et utilitate ad hunc usque diem functus sum. Sed instabat nova calamitas, patre brevi post mortuo, eaque morte matre, quae et ipsa corporis quadam imbecillitate laborat, cum novem liberis in miserrimam conditionem redacta. Certior tamen factus, me Senatus Amplissimi benignitate in numerum eorum, qui religionem Christianam in aede Petrina docent, receptum esse, summis

affectus sum gaudiis, quod hoc modo opportunitas matrem in curandis atque instituendis liberis adiuvandi mihi data est.

CAROLVS GVILIELMVS AVGVSTVS KELLERMANN.

Cassellis, Hassorum electoris regia, VIII. Cal. Iunias anni MDCCCVI. natum patre tribuno militum, parentes, tametsi gens ab ultima memoria militari ordini adscripta fuisset, litterarum me studiis destinarunt. Itaque deductus in Lyceum Fridericianum, mox historiae gentium veterumque auctorum praeclarissimis operibus tanto ardore animum adverti, ut totam vitam huic studio impendere quam flagrantissime cuperem. Parentes quum totos in eo esse cernerem, ut me iurisscientiae operam daturum sperarent, morem quamvis afflicto animo gessi, in illamque disciplinam omne tempus et omnem industriam conferre statui, ne in otio quidem antiquitatum studium revocare ausus, ne, quoniam omne tempus illis impendere non liceret, veterum scriptorum suavitas et elegantia ipsa animum desiderio excruciaret. Sed ut praevalens studium ubique emergit, sic iuris, potissimum Romani, historia, fontiumque ipsorum perscrutatio, Vlpiani, Gaii, aliorum, maxime me retinuit. Sed quum parentum caritatem non fugeret, ingratae disciplinae studio corporis valetudinem atteri, ipsis suadentibus medicis ad dilectissimas illas literas tandem me recepi. Quas summa cum animi alacritate inchoanti contigit, ut Regii Seminarii Philologici Gottingensis, nec non Societatis Philologicae exercitationibus statim accedere liceret. Duos annos et dimidium in academia Georgia Augusta commoratus sum, per unum annum philologiae studiosus. Deinde summorum virorum eximia doctrina atque eruditio me Berolinum adduxit. Ceteroquin alma studiorum humaniorum mater, Lipsia, magno cum animi desiderio iam diu ob oculos versabatur. Cuius voti compotem Virorum summa gloria florentium egregia eruditio ac sapientia me ita devinxit et detinuit, ut et illo tempore, quod in universitate Monacensi et Heidelbergensi studiis impendere in animum induxeram, hic Lipsiae remanere statuerem. Quid igitur gratius iam contingere potuit, quam ut ab iisdem viris, quorum nomina inde a primis unguiculis clarissima mihi praenituerant, summam studiorum academicorum palmam referrem?

GOTTLOB ANTONIVS NAVNDORF.

Tagewerbenae, vico prope Leucopetram, natus est a. h. s. I. d. VIII. Mart. patre Ioanne Gottlob, ibi ludimagistro, matre Maria Dorothea Kleineckia. Paullo post pater puellarum magister Leucopetrae factus, quo munere adhuc

maxima cum civium approbatione fungitur, et ipse filium instituit, et erudiendum misit in scholam elementarem, cuius qui tum rector erat, Herlingius, Latinae Graecaeque linguae eum rudimentis imbuit. A. h. s. XV. per Ampl. Senatus Leucopetrensis liberalitatem alumnis Portensibus adscriptus, per sex annos Wolfii, Langii, b. Schmidtii, Ilgenii, in primisque Iohnii usus est institutione. A. s. XXI. Müllero Rectore Academiam nostram adiit, theologiae operam daturus. Hic per tres et dimidiatum annum Beckium, Krugium, Tzschirnerum, Tittmannum, cui convictorii usum se debere gratus profitetur, Winzerum, Rosenmüllerum, Winerum, b. Cramerum, quumque se puerorum institutioni dicare cuperet, Lindnerum, maximeque Platones, patrem et filium, audivit. Exacto hoc curriculo, docendis Bachmanni, mercatoris, liberis praefectus, quum in pertinacem faucium morbum incidisset, abdicavit se eo munere, petiitque Leucopetram: unde nuper Lipsiam est reversus. Gratias agit maxime gentibus Kunziae et Lehmanniae, quarum insignem liberalitatem et humanitatem praedicat.

AVGVSTVS BONNARD.

Seculi praeteriti anno penultimo, die XVII. mens. Sept. Dresdae natus sum patre Henrico Augusto, in collegio de reditibus et sumtibus civitatis constituto, matre Henrietta Augusta e gente Milhauseria. Patre sexto iam anno privatus, prima litterarum elementa scholae Crucianae Dresdensi nec non vitrico benignissimo debeo. Deinde schola Afrana Misenensis regia me recepit, cui, quae debeo, semper grato recordabor animo. Ex illa, matre quoque iamiam mortua, anno MDCCCXIX honeste dimissus, ab hoc anno usque ad annum MDCCCXXIII alma academia Lipsiensis mater mihi fuit. Et per ultimum hoc sexennium, examine iuridico superato, cum iuvenibus iuris studiosis singulas iurisprudentiae partes et repetendo et examinando hucusque pertractavi.

CAROLVS FVERCHTEGOTT LEVSCHNER.

Zschirlae prope Colditium a. h. s. IV. d. XIII. Maii natus, parentibus Carolo Gotthelf, pagi illius ludimagistro, Anna Elisabetha, e gente Gaudlitzia. Etsi iam puer ad studia theologiae inclinabat, tamen propter inopiam parentum, domi a patre pie educatus, linguarum veterum scientia usque ad annum aetatis XIII. caruit, quo tempore ei contigit ut per triennium disciplina Messerschmidtii, quem Dinterus formaverat, frueretur. Tum ipse Goernitzii, pago prope Lisniam, pueros litterarum et religionis elementa docere coepit. Sed mox impetravit, ut annos nato XVI. gymnasium Fribergense adire liceret: a cuius

rectore Rüdigero privata integri fere anni institutione eo adductus est, ut gymnasii classi secundae adscriberetur. Tres ibi et dimidiatum annum ab Rüdigero et Doeringio, quibus maximas gratias agit, eruditus, a. s. XXV. Lipsiam se contulit, audivitque scholas deinceps omnes, quae ad theologiam spectarent. Adscriptus est societatibus Hebraicae Niedneri, homileticae Goldhornii, optime de eo meriti. Instante examine theologico, quod deinde Dresdae ipso natali suo superavit, ab urbis nostrae Senatu Amplissimo catechetae ad aedem D. Petri munus ei obtigit. Gratias agit patronis et fautoribus, a quibus in impetrandis honoribus nostris est adiutus.

AVRELIVS BRVNO POLACK.

Natus sum Lipsiae, anno h. s. V. patre Valentino Lebrecht Traugott Polack, medicinae et chirurgiae apud Lipsienses doctore, matre Eleonora Henrietta, e gente Mitzkeia. Prima religionis christianae et litterarum elementa intra privatos parietes accepi. Anno h. s. XIX Grimam adii, ubi tres et quod excurrit, annos commoratus praeceptores habui Sturzium, Weichertum, Hochmuthium, Graessium, Hartmannum, Toepferum, Witschelium. Tunc Lipsiam redux a. XXII in numerum civium academicorum receptus sum a Tittmanno, t. t. Rectore Magnifico, medicinae operam daturus. Audivi VV. Ill. Exc. Expp. Wendtium, Krugium, Hermannum, Bockium, Weberum, Kuehnium, Eschenbachium, Gilbertum, Kunzium, Haasium, Carum, O. B. Kuehnium, Ioergium, Wendlerum, Kuhlium, Clarum, Ceruttium. Anno XXIV examen pro baccalaureatu, a XXIX. alterum, quod rigorosum vocant, feliciter superavi.

LVDOVICVS BENIAMIN RIEFFEL.

Natus sum Dresdae d. VII. Iunii a. h. s. IV. patre Dr. Franc. Iosepho, Trevirorum electoris Consiliario intimo, ante hos VII annos defuncto, matre Amalia Elisabetha, e gente Frohnhofferia. A privatis praeceptoribus per duodecim annos domi litteris institutus, semestri hiberno a. XXII. ineunte Lipsiam me contuli, ibique et iuris et philosophiae studia usque ad initium anni XXVII tractavi. Examine iuridico superato, Dresdam rursus me recepi, ut in praxi iuridica aliquem mihi pararem usum, nunc autem longiore itinere et corpus recreare et animum magis excolere constitui.

HENRICVS FERDINANDVS BEYER.

Natus sum Fribergae anno h. s. III. d. XXVII. Decembr. Parentes veneror superstites, Christianum Guilielmum, civem honestum, et Fridericam Concordiam, e gente Kümmelia. Privata primo Rochlitzeri disciplina religionis et literarum elementa edoctus gymnasium patrium exeunte a. s. XIV. frequentare iubebar, nec quos duces fidelissimos me habuisse laetor, Gernhardi, Ruedigeri, Doeringii et Rochlitzeri amorem plane paternum ulla temporis iniuria ex animo meo delebit. A. XXV. transii in academiam Lipsiensem, Rectore Beckio. Quum studiis me dicare philologicis et theologicis a primo statim tempore fuisset animus, antiquitatis Graecae et Rom. studia continuavi, Hermanno et Beckio ducibus, quorum alter artem criticam et grammaticam me docuit, alter Regii Seminar. Philolog. sodalibus me adscripsit. Hermanno, Beckio, Beiero et Weiskio graecos et latinos auctores explicantibus assedi. Praeterea in historicis praeceptores habui Wachsmuthium et Poelitzium, in philosophicis Krugium et Richterum, in anthropologicis Heinrothum. Theilium rerum theologicarum encyclopaediam et methodologiam audivi tradentem. Praelectionibus exegeticis in libros V. et N. T. Rosenmülleri, Winzeri et Fritzschii interfui, Tzschirnerum et Niednerum historiam ecclesiasticam docentes audivi. Tittmannum, principia doctrinae moralis christ., et doctrinam symbolicam exponentem, Tzschirnerum homileticen tradentem adii. Isagogen in V. T. generalem et specialem Rosenmüllerus, dogmata religionis christianae eorumque historiam Hahnius mihi exposuit. Artem paedagogicam et didacticam, annexa institutione catechetica et scholastica Lindnerus me docuit. Laetabundus celebro praeceptorum istorum de me merita, coloque gratissima et perenni memoria. Vitae academicae sine querela transigendae profuit potissimum, quod essem inter beneficiarios Seren. ac Potentiss. Saxon. Regis et quod Ampliss. Senatus civit. Fribergensis beneficiis et liberalitate cumularer. Toto autem tempore Perillustris ab Ende, Supremi iudicii aulici, quod Lipsiae est, Praeses, summa benevolentia me ornavit, mihique etiamnum suffragatur. Absoluto studiorum triennio examini coram tribunali ecclesiastico Dresdensi me subieci, quod me in Candidatorum, qui sacris administrandis destinantur, numerum recepit. Reverso Lipsiam contigit, ut Senatus Ampliss. civitatis Zwencaviensis munus Rectoris scholae mihi mandaret.

D. CAROLVS FRIDERICVS GVENTHER.

Vir S. R. et Illustris haec ad nos perscripsit: Natus sum Lipsiae anno MDCCLXXXVI. patre Ioanne Friderico Theophilo, causarum quondam patrono. Primum domestica institutione usus, mox scholae ad D. Nicol. traditus, admodum adhuc puer in Illustre Moldanum migravi. Hinc redux factus, civibus-

que academicis adscriptus, Iuri operam dedi, in quo quum A. MDCCCVIII. summos honores impetrassem, advocati munus nactus, causas in foro oravi. Tum A. MDCCCXXV. in Ordinem ICtorum receptus, simul Ius privatim docere coepi. A. vero MDCCCXXVIIII. a Potent. Sax. Rege Professor Iuris Primarius et Ordinarius huius Ordinis creatus reliquisque, quae cum isto munere antiquitus coniuncta sunt, muneribus et dignitatibus ornatus sum.

FRIDERICVS ALEXANDER KVNZE.

Natus sum Lipsiae ipsis Mart. idibus anni MDCCCX. parentibus Friderico, magistro in scholis civica et Thomana, et Carolina, Willii f. olim sacrorum antistitis apud Baalsdorfienses meritissimi. Ab his liberaliter educatus, atque a sexto aetatis anno in schola Civica per sexennium eruditus, scholam Thomanam adii, ibique quinque annos litteras philologicas tractavi. Anno aetatis decimo septimo Lipsiae inter cives Academicos relatus, Theologiae potissimum me dedi, nec interim matheseos et linguarum studium praetermisi. In quo cursu contigit mihi, ut, cum pater non omnia suppeditare posset, quibus ad litterarum studia prospere tractanda indigerem, et stipendiis adiuvarer, et alios docendo aliquid pecuniae compararem.

FRIDERICVS ERNESTVS KARCH.

Moselae prope Zwiccaviam VI. Id. Aug. a. h. s. I. natus est, ubi pater eius, Paulus, ab undetriginta annis maxima fide ludimagister est. Sollerti cura parentum educatus, anno aetatis XII. traditus est disciplinae Poetzschii, Glauchaviae rectoris seminarii ludimagistrorum, ut cui muneri eum pater destinasset. Sed impetrata potestate eligendi quod vellet vitae genus, theologia praeoptata, adiit lyceum Zwiccaviense. Ibi magistros habuit Görenzium, Klopferum, Loeberum, cui plurimum debet. A. s. XXI. Müllero Rectore civibus nostris adscriptus, Krugium, Tzschirnerum, Tittmannum, Winzerum, Rosenmüllerum, Winerum, Lindnerum, Beierum, et in homiletica Hoepfnerum, D. praeceptores habuit. Per hoc studiorum Academicorum tempus summa in egestate, paucissimis stipendiolis adiutus, cum adversa valetudine conflictans, fere ab solis parentibus nihil pro eo laboris detrectantibus sustentatus est, quibus tanti pro amoris documentis non invenire se ait quo dignam gratiam referat. Superato examine theologico, contigit ei, ut liberos viri nobilis de Welck instituendos acciperet, quo officio quinque per annos sedulo functus est.

CAROLVS FRIDERICVS GVRLITT.

A. h. s. VI. natus Friderico Rudolpho, cive Lipsiensi, et Maria Rosina e gente Harzendorfia, quum octavum aetatis annum agens iam utroque parente orbatus essem, eximiam mei euram gessit patruus, Ioannes Gurlitt, Theologiae Doctor, Ioannei Hamburgensis Director et Gymnasii Professor, miro modo erga me liberalis, quem tanquam alterum patrem dilexi, colui, luxi, et cui prae ceteris debeo liberam mentem. Scholae Thomanae, quae Lipsiae floret, praeceptorum disciplina per duodecim annorum et sex mensium spatium usus, publice valedixi. Inter praeceptores mihi imprimis laudandi sunt Rostius, Reichenbachius, Lehmannus, Stallbaumius. Anno XXVI. tempore Paschali in Album Vniversitatis Literarum Lipsiensis relatus sum. Interfui Virorum Summe Venerabilium scholis, a Beckio de historia universali, a Krugio de philosophia eiusque historia habitis. Praeterea audivi Tittmannum, Tzschirnerum, quem valde luxi, Winzerum, Schumannum, Niednerum, Fleckium, et Theilium.

HENRICVS GVSTAVVS HVEBNER.

Natus sum Lipsiae anno MDCCCV., die III. Martii, patre Ioanne, sartore, matre Christiana Petrina, gentis Huebneriae. Patrem nuper amisi, eo dolentius, quo habui cariorem. Imbutus initiis litterarum, etiam Latinarum, usus sum ab anno XIV. disciplina scholae Nicolaitanae, ubi merui annos amplius septem. Praedico magistrorum, quos ibi habui, de me merita omnium, plurimum tamen debere me aio Frotschero et quem pia memoria prosequor, Forbigero. Civis academicus adscriptus sum anno XXII. exeunte, Muellero rectore. In philosophicis audivi Krugium, Wendtium et Heinrothum; in philologicis Hermannum et cui mortuo bene sit, Beierum; in historicis Beckium et Wachsmuthium. Fuerat mihi animus amplecti studium theologiae. Adii igitur scholas isagogicas Rosenmuelleri, exegeticas eiusdem Rosenmuelleri, Winzeri et Beckii. Historiam ecclesiae Christianae docuit me Tzschirnerus, ius canonicum Klienius. Sed mox mutato consilio quum ad philologiae studia me adplicuissem, dux mihi et princeps exstitit Hermannus. Qui mihi vir non modo publicis privatisque scholis praestantissimum artis veteres illustrandi litterarumque antiquarum tractandarum exemplum praebuit, sed etiam ex quo tempore societatis Graecae, cui ipse praeest, sodalem me esse voluit, tot me ac tantis verae humanitatis promptissimaeque amicitiae documentis ornavit, ut memoriam eius nisi cum vita depositurus non sim. Alios rerum mearum benignos adiutores grata mente veneror Kochium, civitatis nostrae nuper proconsulem, Tzschirnerum atque Beckium. Superiori anno edere coepi Diogenis Laertii libros de vitis, dogmatis et apophthegmatis clarorum philosophorum, quibus hoc ipso anno addidi Casauboni et Menagii

commentarios. Iam ut magistri philosophiae honoribus augeri possem, Hermanni auctoritate mihi subvenit Winzerus, professor theologiae celeberrimus, qui stipendium, quod legatum est Misnicis magisterium petentibus, in me contulit.

IOHANNES GVILIELMVS SCHAEFER.

Bremanus sum, anno h. s. IX natus. Pater, munere scholastico in ea urbe fungens, postquam summa cura literarum elementis puerulum imbuerat, anno h. s. XX publico urbis gymnasio me tradidit. Cuius quidem scholae eximia semperque mihi laudanda institutione per septem annos usus, anno XXVII Lipsiam abii, inque civium academiae numerum a. V. Ill. C. E. Weissio, tum rectore, receptus sum. Cursum studiorum ita institui, ut in philologicis Hermannum sequerer, in historicis et politicis Wachsmuthium, Hassium, Poelitzium, in mathematicis Brandesium, in philosophicis Krugium et Wendtium, in theologicis Hasium, Theilium, Niednerum, alios. Grato pioque animo, qui in vita et literis duces mihi moderatoresque obtigerunt, me omni tempore esse prosecuturum, nec ullum officii genus, quo animum hunc testificari possim, praetermissurum, iis persuasissimum esse velim.

CHRISTIANVS THEODORVS WOLF.

Parente natus sum Christophoro Wolf, qui ruralium rerum sacrarum apud Altenburgenses censor erat. Vsque ad duodecimum vitae annum privatis scholis, inde gymnasii Altenburgensis disciplina usus, tertio abhinc anno Academiam Lipsiensem petii. Patrem amisi tertio decimo vitae anno, praegressa matre. Sufficiente hereditate, quum iam a puerilibus annis mathematicam et historiam admodum dilexissem, has doctrinas in Academia maxima diligentia tractare studui. Sed mox cum sine fundamento utriusque doctrinae me nihil profecturum intelligerem, philosophiae studium adieci. Hoc igitur modo scholis physicis, philosophicis et historicis annuum tempus tribui, chemicis et meteorologicis spatium semestre. Mathematicorum vero doctrinam ut dicerem, privatissimis scholis usus sum. Quas disciplinas dum sedulo tractabam, propter proprias vitae rationes subito ad iurium scientiam appulsus, intermisso aliquamdiu philosophiae studio, ad dilectas literas sum reversus.

ANTONIVS WESTERMANN.

Natus sum Lipsiae anni h. s. VI. die XVIII. m. Iun., patre Henrico Carolo, vasculario, matre Iosephina Carolina, e gente Schoenkopffia. Quinquennem in disciplinam tradiderunt Heinzio, qui scholam privatam habuit, eoque paullo post inter belli turbas praematura morte abrepto, Richtero, cuius sub auspicio etiam nunc floret schola spectatissima. Ibidem praeceptores habui Soeffnerum atque Kritzium, theologos huius urbis doctissimos, ambos Krusios, clarissimi patris clarissimos filios, Kerndoerfferum, alios, quorum piam recordationem nunquam delebit oblivio. Hinc literis operam daturus anno XXI. Fribergam concessi, ibique praeceptores nactus sum Ruedigerum rectorem atque Doeringium conrectorem, quorum ut doctrinae atque institutioni accepta multa refero, ita eximiam erga me benevolentiam, et, quam etiam nunc mihi servant, amicitiam summopere mihi ipse gratulor. Horum suasu quum ad philologiam memet convertissem, quadriennio exacto a. XXV. Lipsiam redii et Academiae civibus a Beckio, V. Ill., adscriptus eundem audivi, Hermannum, Krugium, Wachsmuthium, Weiskium. Frotscheri societati Latinae inde ab a. XXVII. sodalis summa cum voluptate interfui. A. XXVIII. mihi contigit, ut in Hermanni societatem Graecam reciperer. A. XXIX. Buelavio, ICto, amico carissimo, Ord. Philos. auctoritate disputanti socius adfui. Nuperrime demum „quaestionum Demosthenicarum particulam primam“ ap. Barth. venalem, edidi, eamque praeceptoribus dilectissimis, Ruedigero atque Doeringio, pietatis ac venerationis documentum esse volui.

CAROLVS EDVARDVS BVRCKHARDT.

Natus a. h. s. X. patre Henrico, horologiario, et matre Charlotta e gente Kleinertia, primum Rupperto, affini, viro summe venerando, usus sum magistro. Deinde adolescens scholae Nicolaitanae praeceptoribus in disciplinam traditus primis linguae latinae et graecae elementis imbutus sum. Quam scholam quum patris voluntas me cum Thomana permutare iussisset, ibi Richtero maxime et Stallbaumio praeceptoribus, quibus palam gratias agere officium est, maiorem mihi antiquitatis scientiam paravi. Tittmanno rectore an. XXVI. civium academicorum numero adscriptus, medicinae studium elegeram. Egregiis autem Wachsmuthii, viri ut accuratissima historiae cognitione, sic omnis doctrinae et sagacissimi ingenii laude clarissimi, lectionibus impulsum anno praeterlapso amor historiae tantus occupavit, ut medicinae studio relicto, historiae operam navare constituerem. Quo facto fere omnes Wachsmuthii scholas frequentavi, quibus non minimam si qua in me est eruditionis debeo partem. Quum vero Hassius Dresda Lipsiam venisset, mihi contigit, ut in societatem historicam receptus ducem historiae tractandae peritissimum et hu-

manissimum nanciscerer, cuius memoriam ad cineres usque pie recolam. Praeterea Poelitzii, Krugii, Seyffarthi, Richteri, Weiskii aliorumque diligenter interfui praelectionibus.

IOANNES GVILIELMVS WERNER.

Natus sum Wandsbeckii, vico prope Hamburgum sito, d. Sept. VII. a. h. s. V. patre Ioanne Conrado, matre Augusta Friderica, e gente Kahlea. Ab his optimis parentibus, quorum summa in me educando et formando cura fuit, scholae, quae tunc Wandsbeckii florebat, traditus, ibique per tres integros annos in linguis francogallica et anglica, reliquisque doctrinis, quibus eruditio liberalis censetur, instructus sum. Summam autem, et piissimam gratiam vici patrii Pastori Schroedero habeo, qui incredibili diligentia religionem christianam, linguam latinam et graecam, historiam populorum, geographiam aliasque artes et ipse me docuit, et ut alii docerent magistri curavit. Eodem auctore iam aetatis anno XVII. scholae Hamburgensi cuidam privatae recentiorum potissimum linguarum praeceptor sum praepositus, quumque eadem provincia mihi in aliis quoque Hamburgi Altonaeque scholis demandaretur, per sex integros annos hoc munere functus sum. Postremo fratri dilectissimo, itidem scholam privatam puerorum nobilium, qui vel mercaturae, vel doctrinis elegantioribus se dedere vellent, regenti ad manus fui. Interea quae vacuae a muneris officio horae essent, in antiquas linguas et Italicam impensis, tandem, quod diu in votis habueram, Academiam Lipsiensem adii, cuius civibus a Müllero, tum rectore, adscriptus sum. Praeceptores ibi habui Krugium atque Richterum in philosophia, Hermannum et Beckium in philologia, Wachsmuthium et Poelitzium in historia populorum, Heinrothum in anthropologia; quibus omnibus gratissimum animum ad cineres usque servabo. Prae omnibus autem obstrictus sum Wachsmuthio, qui singulari humanitate me advenam excepit, et, quidquid ad studia sublevanda conferre poterat, lubentissime in se suscepit.

CAROLVS FRIDERICVS MAVRITIVS GREIS.

Natus sum an. MDCCXCIX. Bornae patre Friderico Aenotheo, Geringswaldensi, et Christiana Carolina e gente Werneria, filia rectoris scholae publicae Swarzbacensis ad Salam in Bavaria. Vsque ad annum h. s. XV. scholam publicam oppidi, deinde ab anno XVI. usque ad XXI. gymnasium Altenburgense, magistris Augusto Matthiae, Ramshornio, Messerschmidio, Schneidero et Wagnero frequentavi. Eo anno patre orbatus, egenus almam in Lipsiam

deo iuvante me contuli, ubi per septem semestria lectionibus b. Tzschirneri, Tittmanni, Winzeri Krugii, interfui studiose ac diligenter. Inde, ut usu concionandi exercerer, Halae per tria semestria, Marksio potissimum duce, studiis operam dedi. A. XXVI. Dresdae in Candidatos R. M. receptus, ab eo tempore munere privati doctoris in oppido patrio functus sum.

ERNESTVS FRIDERICVS LEOPOLD.

Natus Chemnitii d. III. Decembr. a. h. s. IV. patre Christiano Friderico, mercatore, qui ante novem annos rebus humanis exemtus est; matre, qua superstite gaudeo, Carolina Elisabetha Sophia e gente Schlegelia, primo Chemnitii, deinde Rossvini, quo parentes se contulerant, partim publice partim privatim literarum elementis imbutus sum. Expleto ferme anno aetatis quartodecimo traditus sum scholae Afranae, ubi inprimis Kreyssigium et Krehlium non modo praeceptores, sed benevolos etiam patronos nactus sum. Sexennio in hac doctrinarum sede transacto Lipsiam profectus et ab Haasio a. s. XXIV. inter Academiae cives relatus sum. Hic primum duumvirorum, quorum famam et exspectationem ipsorum notitia superavit, Hermanni et Krugii, scholas adii, quo his ducibus ad bonarum artium adyta citius rectiusque adducerer. Deinceps interfui praelectionibus Tittmanni, b. Tzschirneri, Winzeri, Lindneri, Theilii, Fritzschii, Niedneri et Platonis, qui omnes in variis theologorum disciplinis se mihi praebuerunt doctos et eruditos magistros, atque studiorum meorum iter sapienti moderamine rexerunt. Illgenius, V. S. V., societati theologico-historicae solita humanitate me tribus adhinc annis adscribi iussit, quum antea Hermannus, clarissimus praeceptor eloquentiae, latine dicendi artem privata institutione me docuisset. Contigit denique mihi ante triennium iungere consuetudinem cum viro non magis eruditione quam pietate conspicuo, Augusto Hahnio, cui prae ceteris acceptum refero, quidquid in literis theologicis profecerim. Tot tantisque egregiorum virorum subsidiis adiutus, nihil magis habeo in vobis, quam ut haud indignus in quem illa beneficia contulerint reperiar.

VICTOR MVELLER.

In vico Neumark ad Zwickaviam anno h. s. V. natus, parentibus G. Chr. Müllero, Neomarcani sacrorum coetus antistite, et Christiana Elisabetha e gente de Minkwitz, frequentavi gymnasium Altenburgense, cuius Directori, Augusto Matthiae, prae caeteris gratiis agendis obstrictum me teneo, ab anno h. s. XVII, usque ad a. XXV. quo ipso anno in numerum civium Academiae Lipsiensis Mül-

lero Rectore adscriptus sum. Qua in alma universitate per quinque fere annos theologiae studio deditus, ab initio scholis philosophicis Krugii et Wendtii, item lectionibus historico-ecclesiasticis b. Tzschirneri, et per sequentes annos scholis exegeticis Winzeri, Rosenmülleri, Theilii et Fleckii interfui, deinde in doctrina dogmatica b. Tzschirneri, in historia dogmatum Niedneri, nec non in doctrina symbolica et in theologiae parte morali Tittmanni, in literis paedagogicis vero et catecheticis Lindneri scholis usus sum. Per hos annos vitae academicae maxima Regum, et b. Friderici Augusti et Antonii, munificentia sum adiutus, quae beneficia semper animo gratissimo agnoscam atque laudabo.

FRIDERICVS AVGVSTVS LVDOVICVS ACKERMANN.

Chemnitii natum exeunte anno h. s. quarto pater Ioannes Augustus, scopularum setosarum opifex, mater Christiana Carolina e gente Lindneria me a quinto aetatis anno Lycei, quod in urbe patria floret, magistris instituendum tradiderunt, inter quos Becherum, Ruppertum, Klemmium, Schmidtium, Wolfium non sine gratissima animi affectione nomino. Emensus studiorum literariorum stadium, ut iure quodam adspirare ad maiora viderer, a. XXV. h. s. Lipsiam me contuli. Ibi Hermanni et Beckii lectionibus philologicis, Krugii et Clodii pbilosophicis, Wachsmuthii de historia universali interfui; historiam ecclesiae christ. eiusque dogmatum Illgenium enarrantem audivi; Winzeri, Rosenmülleri, Hahnii, Theilii scholas exegeticas frequentavi; doctrinam dogmaticam b. Tzschirnerus, doctrinam symbolicam et morum praecepta Tittmannus me docuerunt; Lindneri praeceptis paedagogicis atque catecheticis usus sum. Apud Goldhornium et Hahnium societatis homileticae socius fui; apud Illgenium historico-theologicae sodalis sum. Anno XXIX Dresdae in numerum R. M. Candidatorum relatus Lipsiam redii, ubi mihi Hartmannus bibliopola filios suos educandos tradidit. Novissime concionator vespertinus ad aedem Pauli factus sum. Gratias ago maximas Illgenio, patrono S. R., qui non solum me sibi ab manu esse voluit, sed etiam ad consequendos magisterii honores stipendio auxit; praeterea Winzero et Lindnero, Viris S. R., quorum eximia erga me benevolentia atque humanitas fuit.

CAROLVS GOTTHOLD GENSEL.

Hic lucem vidit Tschopaviae a. h. s. VI. d. XIII. Apr. Pater, Christianus Gottlob, panni lanei fabricator, parvulo, mater, Christiana Dorothea de gente Schanzia, superiore anno morte ei erepti. Anno aetatis quinto in ludo oppidi

patrii religionis litterarumque elementis imbutus praeceptores habuit Edelmannos maiorem et minorem, Schneiderum, Eckhardtum, Ehrhardtum. Ehrhardti tantus in eum amor fuit, ut, indole pueri cognita, non modo matrem fratresque adduceret, ut pro viribus sustentarent litterarum studia sectantem, sed ipse quoque per anni spatium Latinis Graecisque litteris aliisque artibus erudiret. Ita praeparatus adiit Lyceum Annaemontanum, ubi Schumannus, conrector, et Benedictus, rector, praeter caeteras disciplinas, alter eum Gallicae, alter Hebraicae linguae elementa docuit. His summas agit gratias. Consensu praeceptorum maturus iudicatus, a. s. XXV. a. Beckio civis noster factus, meas, Krugii, Beckii, Wendtii, Krusii, Fritzschii maioris, Theilii, Fleckii, Winzeri, Tzschirneri, Tittmanni, Illgenii, Rosenmülleri, Lindneri, Goldhornii scholas frequentavit. Dresdae deinde Canditatis R. M. adscriptus, ea in urbe in domum et amplissimam et vera eruditione insignem receptus, munere praeceptoris domestici fungitur.

ANDREAS SOMMER.

Huic Iaencowitii prope Budissam pauperibus parentibus a. h. s. IV. nato pater ante hos XVII. annos in bellicis tumultibus periit: matrem, unde filium et quattuor filias aleret nesciam, saepe vitae pertaesum erat, nisi amor in liberos vicisset. Adiuvabat eam filius quantum nunc nendo, nunc bubus, ovibus, auseribus pascendis posset. Pace restituta novus conductor molae, cuius antecessor miseros receperat, immisericors infelicem mulierem cum quinque liberis eiecit. Ita quum tres noctes auctumnales sub dio durassent, tandem senatus Budissensis, precibus et lacrimis matris commotus, domicilium in hospitio urbis concessit. Defensis a tempestatis iniuria paullo post puer, cui decenni ne figurae quidem litterarum notae essent, scholam gratuitam adiit, cuius post biennium in primo scamno sedit, gratus praeceptoribus maxime propter memoriter computandi facultatem. Quum eo tempore matronae quaedam nobiles se coniunxissent, ut pauperum liberis victu, vestimentis, atque adeo adoptatoribus prospicerent, textor quidam in oppidulo Lusatiae inferioris puerum adoptaturus erat, si mater eum a se dimisisset. Paullo post consulis dirigentis favore receptus esset in orphanotropheum, nisi, quum hanc spem prae gaudio cum multis communicasset, exstitissent qui id impedirent, quod non intra promoeria urbis esset natus. Sed vertit ea res in melius, quum lectus a societate quadam est ut ei a pedibus esset: inde conorum repostor, post diurnorum portator factus. Interea per quattuor annos schola elementari usus, Giesii, optime de eo meriti, consilio opificium aliquod discere iussus, quum forte exclamasset, utinam gymnasium sibi adire liceret, idque mater medico, medicus rectori retulisset, ab hoc arcessitus est. Ministerio triennali apud societatem illam, quam diximus, quos sibi paraverat L. Ioachimicos, iis libros vestesque

emit, iamque uno in schola anno exacto tironibus docendis quaestum facere coepit. Patronos habuit quosdam illius societatis sodales, a quibus sub discessum e schola stipendio L. Ioachimicorum donatus a. s. XXVI. ad Academiam accessit. Hic audivit Krugium, Beckium, me, Clodium, Poelitium, Weiskium; tum theologos, Tittmannum, Winzerum, Illgenium, Goldhornium, Theilium, maximeque Niednerum. Multum Winzero, Goldhornio, Weiskio debet, qui ei exercitationibus exegeticis, homileticis, philologicis, philosophicis, in iisque societatis Lusatorum theologicae plurimum profuerunt.

CAROLVS GVILIELMVS BVENGER.

Dresdae natus X. Cal. Sept. a. h. s. V. parentibus Henrico Guilielmo, chirurgo oppidano, Friderica Iosephina. Pater inops, cuius frater Dresdae possideret officinam pharmaceuticam, huic arti destinaverat filium, sed, fratre illo mortuo, tradidit undecim annos natum scholae ad aedem crucis. Quadriennio ibi exacto, abhorrens ab opere chirurgico, propensiorque ad philosophiam et historiam, auctus stipendio gentilicio, in gymnasium Budissinum transiit, ubi praeceptores maxime veneratus est Siebelisium et Käufferum. A. XXVI. Lipsiam se contulit, ubi doctoribus usus est Krugio, Clodio, Wendtio, Beiero, Beckio, Poelitio, Wachsmuthio, Wielandio, Tittmanno, Winzero, Illgenio, Rosenmüllero, Hahnio, Theilio, Lindnero, Platone, Niednero, Fleckio. Praeter stipendii illius gentilicii usum sustentata sunt eius studia etiam benignitate cognatae cuiusdam feminae. Constituit vitam arti paedagogicae dedere.

CAROLVS HERMANNVS FVNKHAENEL.

Natus sum in Villa Ioannis Georgii anno h. s. VIII. patre Christiano Gottholdo, rerum metallicarum administratore senatusque in patria urbe socio, matre Io. Christiana, e gente Scheidhaueria. In patria urbe per viros de ea meritissimos, Brunnerum, pastorem, et Scheidhauerum, rectorem scholae, ad studia altiora praeparatus adii lyceum Schneebergense, quod tum Voigtländero, qui nunc inter beatos vitae gloriose transactae fructibus gaudet, rectore florebat. Deinde a. XXVI. h. s. in hanc litterarum universitatem receptus audivi Krugium, Hermannum, Wachsmuthium, omneque studium in litteris antiquis posui. Patronos colo triumviros illustres Tittmannum, qui pauperem me adiuvit, Beckium et Hermannum, quorum ille me in seminarium philol. regium, hic in societatem graecam recepit meque sibi a manu esse voluit. Denique ad honorem magisterii consequendum stipendio Grossico sum adiutus, cuius beneficii auctori gratias quam maximas nunc publice eloquor.

CAROLVS THEOPHILVS IVST.

Hunc, natum Cal. Iul. a. h. s. VII. Weissenbergae, oppido Lusatiae superioris, parentes Christianus Traugott, sutor, et Ioanna Lehmannia, pie educatum, propter belli turbas septennem demum in scholam mittere potuerunt. Monitu atque auctoritate quum aliorum fautorum, tum venerabilis atque eruditi senis, Benadi, in oppido patrio verbi divini ministri, qui etiam post optime de eo meritus est, commissus a patre est a. s. XX. gymnasio Budissensi. Ibi septem semestrium spatio ab ultimo ordine ad primum evectus, praeceptores habuit Müllerum, Fritzschium,et, quos maximis laudibus prosequitur, Kaeuferum ac Siebelisium. Horum ductu quum etiam Hebraicis litteris diligentem operam navasset, postremo cursus Budissini tempore his litteris erudienda ei altera classis, quod doctore careret, commissa est. Auctumno anni XXVI. Lipsiae professores audire coepit, scholasque frequentavit Krugii, Heinrothi, Poelitii, tum theologorum, Tittmanni, Tzschirneri, Winzeri, Illgenii, Lindneri, Hahnii. Tria per semestria apud Wolfium societati homileticae interfuit. Dubitationibus multis perturbatus, lectis potissimum fragmentis Guelfertytanis, lectiones adiit Niedneri super recentiorum philosophorum placitis, et, ut disputando illa dubia solverentur, societatibus duabus popularium suorum se adiunxit, exegeticae et homileticae, quarum alteri Winzerus, alteri Goldhornius praeest. Denique eo pervenit, ut in plerisque rebus, nisi potius in omnibus, cum Hahnio, quem magnopere laudat, consentiret. Ab Ordine S. R. Theologorum, sorte favente, tentatus examine, stipendio se adiutum esse gratus praedicat.

ALEXANDER BERNHARD ZVERN.

Natus sum Rochlitzii, a. h. s. VIII. prid. Cal. Iun. patre Ioanne Christiano, mercatore, quem adhuc superstitem mihi gratulor; matre Dorothea, ex gente Dehnertia, quae praematura morte erepta est. Puerum vix septem annorum pater, negotiis cumulatus, Burmanno, verbi divini prope Lipsiam ministro, in disciplinam dedit; cuius viri memoriam etiamnum grato animo teneo. Paucis annis post in scholam Rochlitzerianam, quae Fribergae Hermundurorum floret, receptus, ibi primum bonarum literarum studio per totam vitam operam navandi cepi consilium. Tredecim annos natum pater optimus scholae regiae Grimensi tradidit, in qua per sex fere annos doctoribus usus sum optimis ac benignissimis. Quos cum omnes, tum inprimis Kaeufferum pio animo veneror. Anno h. s. XXVII. Lipsiam profectus et a Muellero civitate academica donatus, theologiae operam navavi. Per omne vero, quo hic versatus sum tempus, Hermanni, Krugii, Wachsmuthii, Tittmanni, Winzeri, Theilii, Niedneri aliorumque scholis, quas utiles mihi fore existimabam, in-

terfui. Prae caeteris me devinctum sentio Theilio, qui cum ab initio curriculi academici praeclare de me meritus est, tum maxime ex quo societatis exegeticae exercitationibus sodalem interesse voluit. Quorum virorum disciplina me per integrum triennium uti potuisse Caroli et Ludovici Zuerniorum potissimum, avunculorum meorum, liberālitati debeo, qui me omni paterno stipendio prorsus carentem, singulari cum benignitate sustentarunt.

AEMILIVS GVILIELMVS ROBERTVS NAVMANN.

Natus sum Lipsiae d. III. Dec. a. IX. patre Ioanne Godofredo, sartore, matre Ioanna Christiana e gente Lochmannia, qui posteaquam prima litterarum rudimenta in schola civica Lipsiensi me doceri voluerunt, scholae Nicolaïtanae puerum duodecennem erudiendum tradiderunt, ubi per quinquennium b. Forbigeri, Nobbii, Frotscheri, Kuechleri, Ottonis optima institutione usus sum, quorum omnium virorum amorem quemadmodum mihi semper eximium contigisse gratus profiteor, ita Frotscheri maxime erga me benevolentiam pie testor semper singularem fuisse. Idem ille me sibi amanuensem in bibliotheca Senatoria, cui praefectus est, adoptavit, atque ita liberrimum ad optimos quosque litterarum thesauros aditum patefecit. Anno XXVII. in album Academiae nostrae relatus praeceptoribus usus sum Beckio et Hermanno in scriptores Graecos et Romanos commentantibus, Krugio philosophiam fundamentalem, logicam et methaphysicam proponente, Richtero de arte logica et de psychologia disputante; in theologicis assedi Winzero, Hahnio, Theilio, Niednero, Hoepfnero, libros utriusque testamenti explicantibus, Rosenmuellero antiquitates Hebraeorum profitenti, Niednero historiam ecclesiasticam enarranti, Theilio de theologia dogmatica, Lindnero de arte paedagogica disserentibus, Grossmanno theologiam pastoralem tradenti, Tittmanno denique scholas symbolicas ac Wolfio homiletico-practicas habentibus. Caeterum ut artem sacram scripturam explicandi factitarem, exercitationibus societatum exegeticarum Hoepfneri atque Kuechleri interfui.

HERMANNVS ANTONIVS VOLCMAR FIEDLER.

Hic Wurcenae natus a. IX. d. VIII. Apr. parentibus Christ. Ant. Augusto, Theol. D. olim Wurcenensis, nunc Plaviensis dioeceseos Ephoro, Friderica Carolina Dietericia. Ab his amantissime educatus, dum ab sexto aetatis anno et publica oppidi schola praeceptoribus Wendlero, collega tertio, Kotzero, can-

tore, Köhlero, rectore, et domestica patris institutione fruebatur, sexennio post per tres annos una cum aliis adolescentibus litterarum humaniorum studiosis a patre eo perductus est, ut in illustre Moldanum esset recipiendus. Quo tempore, a. XXIV. quum pater Plaviam vocatus esset, mutato consilio illuc filium secum adduxit. Ibi gymnasii classi primae adscriptus optimos et praestantissimos magistros habuit Wimmerum, Pfretschnerum, Doellingium. Praeterea eximie laudat Steinhaeuserum Engeliumque, diaconos, et Schlickium, collegam tertium, ipsiusque patris operam. Ab his viris per triennium exercitatus, quum valde probatus carmine Graeco valedixisset, nundinis Paschalibus a. XXVII. a Beckio civibus nostris est adscriptus. Hic philosophicas scholas adiit Krugii, Heinrothi, Richteri, philologicas meas, historicas Beckii, disputatorias Rostii, paedagogicas Lindneri. Tum theologos audivit Tittmannum, Hahnium, Grossmannum, Theilium, Niednerum, Fleckium, Hoepfnerum: quorum quum omnium gratissimam se memoriam servaturum spondet, tum Theilii potissimum laudat benevolentiam, a quo ad societatem exegeticam admissus est, iucundam ipsi etiam propter sodalium amicissimam consuetudinem. Grunero, qui superiore anno dissertationem philosophicam publice defendit, socius, approbavit dexteritatem suam audientibus.

IOANNES CAROLVS FRIDERICVS WALDAV.

Natus sum Chemnitii die XXIV. Iunii a. VI., patre Carolo Friderico, publicarum prope Chemnicium viarum Curatore Regio, matre Ioanna Christiana, e gente Illgenia. Qui parentes optimi primis me literarum elementis in ludo Nicolaitano imbutum lycei patrii disciplinae tradiderunt, ubi a tertia inde classe Schmidtii, Klemmii, et Becheri institutione usus, quum semestri aestivo anni XXVII. in album Academiae Lipsiensis, Beckio Rectore, relatus essem, scholas frequentavi philologicas Hermanni et Beieri, philosophicas Krugii, Wendtii, Heinrothi, Richteri, historicas Wachsmuthii; theologicas autem Tittmanni, Winzeri, Illgenii, Hahnii, Rosenmuelleri, Theilii, all. Inter quos praeceptores, optime de me meritos, quantum Illgenio, avunculo dilectissimo, debeam, verbis exprimere nequeo: qui me paterno amplexus amore, novum nuper benevoli animi documentum dedit, quum in societatem historico-theologicam, quam ipse moderatur, recipere non est dedignatus. Praeterea non solum ab Rege Pot. et a Senatu Chemnitiensi, verum etiam a supremi iudicii aulici praeside generosissimo ab Ende, item a Winzero et b. Tzschirnero beneficia in me collata esse, gratissimi animi sensu me agnoscere decet.

AVGVSTVS LVDOVICVS GODOFR. WVERDIG.

Hic Io. Carolo, sartori, ex Io. Rosina Messerschmidia natus Dresdae a. IV. d. XXV. Nov. dura sorte usus est, patre Gallorum nomine hereditate materna privato, utroque autem parente diuturnis morbis vexato, ut haud raro etiam necessaria ad vitam deficerent. Ita saepius a scholis ludimagistri abesse coactus, annum agens XIV. in eo erat, ut represso litterarum quo flagrabat amore opificium aliquod discere cogeretur, quum Bischofii, consiliarii aulici, benignissima intercessione scholae civicae Neodresdanae commissus est, ut olim ludimagister evaderet. Ita biennio exacto, quum duos fere menses aegrotus decubuisset, maximo sacras litteras discendi studio correptus, de adeunda schola Cruciana cogitavit. Omnis via quum occlusa videretur, succurrit hic quoque Bischofius. Receptus illa in schola, perque sex annos praeclara magistrorum opera excultus, a. XXVII. m. Maio civis Academiae nostrae factus est. Hic praeceptores habuit Beckium, me, Krugium, Tittmannum, Winzerum, Niednerum, alios, asperiore primum fortuna, ereptis ei patronis Tzschirnero et Tittmanno, ephoro dioeceseos Dresdensis et supr. Sen. eccles. consiliario; post laetiore usus, aliis succedentibus fautoribus.

CAR. FRIDER. LEBERECHT WINKLER.

Natus Ehrenfriedersdorfii a. h. s. V. patre Ioanne Godofredo, caementario, matre Ioanna Sophia e stirpe Graupneria, annum aetatis quintum agens Wenzelio, scholae in opidulo patrio rectori, et Fehrio, cantori, sum commissus. Elementa linguae latinae, graecae et gallicae idem Wenzelius me docuit, ita ut quindecim annos natus inter discipulos secundi ordinis Lycei Chemnitiensis recipi possem. Ibi scholas Becheri, rectoris, Rupperti, conrectoris, eiusque successoris Klemmii, quorum nomina pectore gratissimo nunquam excident, sex annos totidemque mensesque diligenter frequentavi. A. h. s. XXVII. verno tempore Academiam Lipsiensem adii, ubi hucusque tres ferme annos commoratus duces Wachsmuthium in historicis, Hermannum in philologicis, Krugium et Richterum in philosophicis, Tittmannum, Winzerum, Illgeninm, Rosenmuellerum et Hahnium in theologicis, Heinrothum in medicis literis habui. His viris omnibus gratias debeo maximas, eorumque memoria omni tempore erit mihi sanctissima, maximeqne eximiam Illgenii, viri S. R. benevolentiam gratus agnosco. Ceterum facere non possum, quin Viro Perillustri et Generosissimo, Eduardo de Polenz, h. t. Chemnitii versanti, praefecto regioni montanae, publice summas agam gratias: qui vir amici et patris instar me, pauperum parentum sanguinem, in curriculo Academico omni, qua fieri poterat, ratione adiuvit.



ANDREAS MAVRITIVS SCHVLZE.

Gothae a. VIII. natus patre Chr. Ferdinando, gymnasii professore, matre Aug. Schmidtia, quanta maxima cuiquam a parentibus contingere potest cura educatus, receptus sum in discipulorum illustris gymnasii Gothani numerum; ibique, Doeringio directore, Bretschneideri, Kriesii, patris mei, Regelii, Vkerti, Rostii, Wüstemanni aliorumque institutione usus sum, quorum virorum in me formando studia nunquam memoriae meae elabentur. Scholae cursu peracto, qui morbi causa prolongandus erat, a. XXVII. ineunte semestri aestivo, adii Ienam, sacrarum litterarum causa, quarum amorem tam patris mei, quam Bretschneideri institutio atque exemplum in me excitaverat. Audivi ibi in dogmaticis Schottum, virum pie colendum, in historia ecclesiastica Danzium, praeclara ingenii sagacitate praeditum, in exegeticis Baumgarten-Crusium, virum doctissimum suavissimumque, et alios in aliis theologiae partibus; in philosophicis autem Scheidleri, in philologicis Eichstaedtii, in historicis Ludenii lectionibus usus sum. Ad perficiendum cursum theologicum in litterarum sedem, quae Lipsiae floret, migravi a. XXVIII. rectore Müllero. Ibi, quamquam Tzschirnerus, praeclarum illud lumen, quod affulserat ecclesiae nostrae, extinctus erat, tamen tot doctos viros, tot instituta studium theologicum adiuvantia inveni, ut uberrime desideriis meis satisfieri intelligam. Atque adhuc doctores mihi fuerunt Tittmannus, Goldhornius, Niednerus, Fleckius, Hermannus, Krugius, et Clodius; contigitque ut et in societatem Lusatorum homileticam, et in hebraico-exegeticam Fleckii sodalis reciperer.

IMANVEL CONSTANTINVS MATHIAE.

Natus sum Altenburgi a. VIII, patre Augusto, matre Luisa, e gente Eichmannia: ibi, patre gymnasii directore, belle cecidit, ut ipsum octo per annos praeceptorem habuerim. Hinc a. XXVI profectus quum Ienae Handio, Goettlingio, Eichstaedtio, Ludenio ducibus annum cum dimidio philologiae studuissem, Lipsiam in biennium demigravi, Hermannum potissimum et Krugium auditurus: hic quod aliquantulum temporis societatis graecae sodalis fui, prioris beneficio factum est.
